This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600003350H

Durch? 1826

PLATONIS

DE

IDEIS ET NUMERIS DOCTRINA

EX

ARISTOTELE ILLUSTRATA.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

SCRIPSIT

FRIDERICUS ADOLPHUS TRENDELENBURG
PHILOS. DOCT.

LIPSIAE 1826
SUMTIBUS FRID. CHR. GUIL. VOGELII.

751.

GEORGIO LUDOVICO KOENIG

PHILOSOPHIAE DOCTORI ET SCHOLAE EUTINENSIS

RECTORI

PRAECEPTORI MEO.

600003350H



In Platonem ingratum fuisse criminantur; nec tamen ullum hoc ausum esse scio, Aristotelem Platonis sententias falso interpretatum esse. Quare quidquid fabularum est de Aristotelis aut impia malignitate aut sordida aemulatione (quo enim quis major, eo magis multitudinis infra se positae obtrectationibus objectus): impedimento esse nequit, quominus Aristoteles Platonis sententias exponens locuples testis habeatur [2]).

---

1) Quae apud veteres de hoc dissidio narrantur, invenias apud Diog. Laert. V. 2. Aelian. var. hist. III. 19. V. 9. ubi Perizonius adeundus. Memorabilis est locus Eusebii (praepar. evang. XV. 2.) qui Aristoclem peripateticum *inducit* (ex ejus libro de philosophia septimo) Aristotelis calumniatores enumerantem eumque a conviciis purgantem. Crimina adeo cumulata et exaggerata sunt, ut jam, etiamsi non in talem virum, qualis est Aristoteles, conjecta essent, sua ipsorum mole corruerent. Quantopere ea, quae de his memoriae tradita sunt, inter se repugnent, facile patebit, si cui Eusebium l. l. et Suidam s. v. *Ἀριστόξενος* conferre placuerit. Hic enim de Aristoxeno: *καὶ τέλος Ἀριστοτέλους (ἀκουστὴς γενόμενος). εἰς ὃν ἀποθανόντα ὕβρισε, διότι κατέλιπε τῆς σχόλης διάδοχον Θεόφραστον, αὐτοῦ δόξαν μεγάλην ἐν τοῖς ἀκροαταῖς τοῦ Ἀριστοτέλους ἔχοντος.* Aristocles vero apud Eusebium: *Τίς δ' ἂν πεισθείη τοῖς ὑπ' Ἀριστοξένου τοῦ Μουσικοῦ λεγομένοις ἐν τῷ βίῳ τοῦ Πλάτωνος· ἐν γὰρ τῇ πλάνῃ καὶ τῇ ἀποδημίᾳ φησιν ἀπανίστασθαι καὶ ἀντοικοδομεῖν αὐτῷ τινας Περίπατον ξένους ὄντας, οἴονται οὖν ἔνιοι ταῦτα περὶ Ἀριστοτέλους λέγειν αὐτόν, Ἀριστοξένου διαπαντὸς εὐφημοῦντος Ἀριστοτέλην.* — — Rectissime certe Aristocles tot et tantorum criminum fontem indicat, ita quidem scribens: *φανερὸν οὖν ὅτι καθάπερ πολλοῖς καὶ ἄλλοις, οὕτω καὶ Ἀριστοτέλει συνέβη διά τε τὰς πρὸς τοὺς βασιλεῖς φιλίαν καὶ διὰ τὴν ἐν τοῖς λόγοις ὑπεροχὴν ὑπὸ τῶν τότε σοφιστῶν φθονεῖσθαι.* — Sed jam satis horum testimoniorum. Optimum certe illud erit, si ex ipso Aristotele patebit, Platonis sententias ab eo, etsi saepius refutatas

Quum itaque, quae apud Aristotelem de Platonis philosophia leguntur, ab antiquae philosophiae scriptoribus neglecta vidissem, operae pretium esse censui, haec in Aristotelis scriptis sparsa colligere, collecta componere, et, ubi res postulare videatur, cum Platonis dialogis conferre. Quae res suas habet difficultates. Saepius enim fit, ut Aristoteles Platonis sententias indicet magis quam exponat, aut magis tangat quam indicet, saepius, ut Platonem tacite perstringat neque aperte nominet. In illis locis brevitas obscuritate premitur; in his haud scio, utrum magis sagacitate an cautione opus sit. Accedit, quod Aristotelis textus adhuc adeo incertus jacet, ut nullo fere loco, nisi critice versato et examinato, uti liceat. Difficillimum itaque erit et quod vix possit sperari, hac rerum conditione ex indiciis absolutam quandam summae sententiae imaginem referre, ut nec partes nec rationes desiderentur. Quod etiamsi sit, erunt tamen fortasse ipsorum etiam fragmentorum fructus.

---

tamen candide commemoratas esse. Acrius quidem saepe contra Platonem et Platonicos maxime pugnat, ut metaphys. N. p. 299. Br. XIV. 3., sed multa minus in Platonem, cui philosophia tot et tanta debebat, dicta videntur, quam in servos ejus imitatores, qui pertinaciter, ut fit, praeceptoris sententias rètinentes omnem mentis progressum agnoscere vel nesciebant vel nolebant. Dum rem persequitur, viros scit colere, ut ex ethic. ad Nicom. I. 4. perspicitur, ubi idearum judicium instituens ita scribit: *Τὸ δὲ καθόλου βέλτιον ἴσως ἐπισκέψασθαι καὶ διαπορῆσαι πῶς λέγεται, καίπερ προσάντους τῆς τοιαύτης γινομένης ζητήσεως, διὰ τὸ φίλους ἄνδρας εἰσαγαγεῖν τὰ εἴδη· δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας· ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.*

Nisi enim Platonem sibimet ipsi repugnasse credere velimus, id pro certo habendum est, sicut prioribus dialogis quasi praeparat posteriores, posterioribus evolvit priores, ita et in scholis continuasse dialogos, quae reliquerit, absolvisse, atque omnibus ad summa principia perductis, intima quasi semina aperuisse. Cujus rei etiamsi primae tantum lineae duci possint, erunt tamen symbolae quaedam ad Platonem penitius intelligendum. Deinde quum a Platonis sententiarum apud Aristotelem mentione Aristotelis de iis judicium nunquam fere disjunctum sit, fiet fortasse, ut, illis illustratis, hoc quoque magis eluceat, atque ut, quae inter utrumque in propria philosophandi ratione intercesserit et similitudo et dissimilitudo, clarius intelligatur.

Nobis itaque propositum est, quae apud Aristotelem de Platone leguntur, ita tractare et componere, ut summa et universa Platonis philosophia, qualis ab Aristotele mente concepta est, adumbretur, eoque ipso, qualis a Platone proposita, si fieri possit, illustretur. Quae ab hac generali quaestione in singulas philosophiae partes, sive physicas, sive ethicas et politicas discedunt, secludenda putamus. Politicis quidem eo facilius supersedere possumus, quum loca nuper collata sint [1]). Physica autem, quae Timaeum maxime spectant, tum quod quodammodo sejuncta, tum quod difficiliora sunt, peculiarem postulant expositionem. Utraque tamen et physica et ethica, quatenus in ipsa prima philosophia suas quasi agunt

1) De iis quae Aristoteles in Platonis politia reprehendit commentatio. Scripsit Gustavus Pinzger, Silesius. Lips. 1822.

radices, nobis attingenda erunt. Ita summa certe quaestio in Platonis de ideis et numeris doctrina versabitur. In qua re si omnibus difficultatibus superandis, ne dicam exantlandis vires meas nequaquam pares esse sentio, si experiendi voluntas perficiendi spe plane mihi destituta, eo majoribus precibus mihi contendendum est, ut in benigna lectorum et judicum humanitate juveni altum primo tentanti aliquod certe perfugium parātum sit.

Ad metaphysicas Platonis notiones, quales quidem ab Aristotele traduntur, enucleandas multa eaque egregia contulit Christianus Augustus Brandis, vir in hoc quaestionum genere omnium maxime versatus, in programmate quodam, non amplo illo quidem, sed copioso doctrinae et acuminis documento, quod inscripsit: De perditis Aristotelis libris de ideis et de bono s. philosophia. Bonnae 1823. Quem libellum me in via mea, si non ducem, tamen comitem habuisse, gratus profiteor.

Quoniam res nostra in eo maxime est posita, ut locis, quae apud Aristotelem de Platone nobis relicta sunt, ad genuinas ipsius Platonis sententias restituendas circumspecte utamur eaque diligenter inter se componamus: hoc ipsum postulare videtur, ut loca, ne coeca eorum mole obruamur, priusquam ad ipsum propositum accesserimus, universe perpendenda enumerentur et in quendam ordinem digerantur. Quae quidem locorum momenta et quasi pondera hoc certe loco, quum, quae in iis memoriae prodita sunt, postea demum accuratius sint consideranda, externa magis auctoritate, quam vera et interna dignitate metienda sunt. Sed et haec ratio necessaria, ut historica fides recte aestimetur, et ut postea via ad philosophicas Platonis notiones ex Aristotele evolvendas tutior sit et ab omni externo impetu secura.

Triplex autem, quatenus hoc loco aestimanda est, locorum ratio. Aristoteles enim in Platonis sententiis percensendis aut Platonis nomen aperte profitetur, aut eum tacite respicit. E quibus locis illa, quoniam nullus esse potest de sententiae auctore error, gravioris haec, quoniam conjectura, qua locus ad Platonem refertur, saepius fallax, minoris momenti et secundi quasi ordinis, utpote magis

idonea ad priora loca confirmanda, quam ad ipsa nova proponenda. Tertium locorum genus id posuerim, quod ex antiquis in Aristotelem commentatoribus depromtum est. Quamquam enim gravissimi Aristotelis libri, id quod grata et pia mente agnoscimus, ex illo quasi naufragio, quod cum ipsa antiquitate antiquae fecerunt literae, nobis superstites facti sunt: tamen non omnes servati neque ii, quos de Platone ab eo conscriptos esse scimus. Unde accidere potest, ut ex Aristotelis libris deperditis in veteribus illis commentariis reliquiae quaedam nobis exstent. Quae, etsi parvulae plerumque, tamen non sunt spernendae, dummodo ab originis obscuritate vindicatae sint, nec commentatoribus potius, quam Aristoteli debeantur.

Primus ordo, qui ipsius Platonis nomen gerit, rursus partiendus videtur. In Aristotelis enim locis aut Platonis scripta aut scholae aut scholae cum scriptis spectantur. Haec duo posteriora ad rem nostram magis valent, illa magis vel ad Platonis criticam exercendam vel ad Aristotelis de his Platonis locis judicium cognoscendum. Fieri quidem potest, ut Aristoteles solum Platonem laudans certa quaedam ejus scripta significet. Hoc vero quum e loci demum perpetuitate perspici possit, haec loca, ubi Aristoteles solum Platonem nec dialogorum nomen attulit, in unam, illa, ubi scripta simul citavit, in alteram classem conjiciamus. Loca ita quidem perlustremus, ut, dum, quae universam Platonis sententiam eamque continuam plenius quodammodo tractant, praeponimus, a generalibus ad singulas paulatim partes accedamus.

Princeps omnium de Platone locus suo jure ille praedicandus est, qui legitur in metaphysicis I. 6. A. p. 20. ed. Brandis, ubi Aristoteles tum quomodo Platonis philosophia e praeceptorum, quibus usus sit, quasi seminibus orta haec propria et laetius efflorescentia propagaverit, paucis egregie explicat, tum quomodo Platonis philosophiae fundamento, ideas dico, reliquae ejus partes nitantur, paucis iisque certis lineamentis adumbrat. Qui locus, quum et vetustissimis testimoniis agnoscatur et agnoscendus sit, quaecumque demum fuit genuina metaphysicorum forma, universae quaestioni nostrae tanquam dux facem debet praeferre. Quatenus Platonis philosophiam, e quorum disciplina exstiterit, exponit, ad verbum fere congruit locus metaphys. XIII. 4. M. p. 265. ed. Brand., qui, jam a Syriano agnitus, etsi Platonem non nominet, tamen de idearum auctore agit, ut ad Platonem pertinere dubium esse non possit. Quod in ipsis metaphysicis una fere et eadem bis leguntur, id nos nostra quidem in quaestione, quod loci fidem minime elevat, morari non debet atque iis potius curae erit, qui metaphysicorum libros inter se digerunt [1]). — His locis duo

1) Librorum Aristotelis indicem apud Diogenem Laertium inspicienti mirum videbitur, nec metaphysicorum nec librorum de prima philosophia nomen afferri, quamquam jam Alexander Aphrodisiensis, Diogenis Laertii fere aequalis commentarios in libros de prima philosophia XII., qui sunt nostri metaphysicorum XII. priores, conscripserit — id quod hos libros tum temporis haudquaquam obscuros fuisse ostendit. Iam vero quum apud Diogenem in illo Aristotelis librorum indice ἐξηγούμενα κατὰ γένος τέτταρα

potissimum possunt sejungi, primum quae de Platonis ideis per se dicuntur, deinde quae de earum cum numeris conjunctione. Haec aliis locis seorsim tractantur. De ideis per se et quatenus maxime ad id, quod bonum est, referuntur, loca commemoranda sunt in Aristotelis ethicis ad Nicomachum I. 4., in magnis moralibus I. 1., ad Eudemum I. 8. Quae etsi inter se consentiunt, tamen et ita differunt, ut eandem rem a diversa quasi parte collustrent. In locis quidem ad Nicomach. I. 4. et ad Eudemum I. 8. Plato non nominatur. In illo autem, sicut universa disputatio, ita quae de familiaritate cum iis, qui ideas introduxerunt, afferuntur, in hoc, sicut ipsa verba Platonico sophistae congrua, ita librorum de philosophia, qui de Platone scripti erant, mentio injecta, de ipso Platone agi, satis declarant. His locis,

---

καὶ δέκα (generatim exposita XIV) nominata inveniam, neque ulla hujus libri apud interpretes mentio mihi nota sit: adducor, ut credam, hoc ipso nomine, quum et quaestionis genus et librorum numerus respondeant, metaphysica nostra significari. Scio quidem in librorum Aristotelis indice in anonymi vita apud Menagium ad Diog. Laert. V. 35. et *μεταφυσικὰ ν'.* et *ἐξηπασμένων κατὰ γένος ιδ'.* percenseri. Sin vero utrumque indicem inter se conferri placuerit, patebit, huic anonymi indici illum Diogenis Laertii tanquam fundamentum subesse, ita, ut plures tantum librorum inscriptiones insertae sint. Sed librorum titulos conquirenti facile accidere potuit, ut unum librum duabus fortasse inscriptionibus notum propter diversa nomina diversum existimaret. Quod vero utrique inscriptioni diversum librorum numerum addit, huic rei in nostra metaphysicorum ambiguitate et in facili numeri errore non tantum tribuendum videtur. Si verus est numerus (*ν'*), nihil aliud probatur, quam diversam librorum distributionem jam antiquitus fuisse traditam.

quatenus boni maxime ideam respiciunt, subjungendus est locus, quem jam laudavimus, metaphys. I. 6. extr. *A.* p. 22. edit. Brandis, ubi et boni et mali principia, cum iis, quae de ideis tradita sunt, consociantur. Quomodo ideae mathematica omnino et numeros maxime intima quadam cognatione Platoni attigerint, aliis locis explicatur et multis maxime e metaphysicorum libris duobus ultimis, quae eo majorem habent cautionem, quo obscurior Platonis saepe significatio. Certiora illa sunt, quae de duplici infinito a Platone posito pluribus physicorum locis leguntur I. 4. III. 4. III. 6. Quibus locis addi debet de anima I. 2., locus de numerorum doctrina admodum memorabilis.

Sunt denique loca, quae Platonem nomine quidem attingunt, sed magis praetereundo, quam explicando. Ita quidem metaphys. I. 7. *A.* p. 32. edit. Brand., de puncto mathematico. III. 1. *B.* p. 42. edit. Brand., τὸ ἓν καὶ τὸ ὄν. IV. 5. *Γ.* p. 80. edit. Brand., dicti e dialogo quodam, ut videtur, mentio. V. 11. *Δ.* p. 103. edit. Brand. de quadam priorum et posteriorum divisione. VI. 2. *E.* p. 124. Brand. cf. XI. 8. *K.* p 227. in quanam re sophistica versetur, ubi haud dubie Platonis sophista respicitur. VII. 2. *Z.* p. 129. Brand. de rerum generibus divisis. XII. 3. *Λ.* p. 242. edit. Brand. de ideis. XII. 6. *Λ.* p. 247. Timaei fortasse mentio. XIII. 8. *M.* p. 278. edit. Brand. de numerorum genuina natura. XIV. 3. *N.* p. 299. edit. Brand. de numerorum ortu, ubi κατ' ἐκεῖνον satis perspicue Platonem indicat. Eth. ad Nicom. I. 2. de quaerendi initio. Quibus locis etsi parca tantum Platonis mentio, tamen plura eorum,

si suo loco adhibentur et quasi contexuntur, haud spernenda conferunt momenta.

Vix est, quod locum e libro de mundo c. 7. commemorem. Cui libro, nisi jam oratione minus simplici, disserendi via ab illa Aristotelis e singulis universa colligendi ratione longe diversa, mythologicis captandis et ad philosophiam flectendis et aliis indiciis fraudis vestigia satis aperiret: ipsa ratio, qua in eo veteres philosophi laudantur, ab Aristotele quidem aliena, suspicionem quandam moveret. Sicut enim in isto libro Ἡράκλειτος ὁ σκοτεινός dicitur, quo nomine posterior demum aetas eum insignivit [1]): ita Plato ὁ γενναῖος Πλάτων appellatur, quae vana quodammodo venerandi ratio praeter Aristotelis morem.

Haec quidem illa potissimum loca, quibus Aristoteles universam Platonis rationem tangit. Iam, ut completa sit, quantum quidem in nobis est, Platonicorum locorum enumeratio, illa sequantur, quibus certum aliquem librum laudat.

Ita Hippias citatur, qui nobis dicitur minor, metaphys. V. 29. Δ. p. 120. edit. Brand. Quo cum loco conferendus est Platonis Hipp. min. p. 365. b. p. 372. a. p. 374. c. p. 376. b. Iis, qui Hippiam minorem a Platone auctore profectum esse negant, id quidem obstat, Hippiam, ut plerumque Platonis dialogi, sine auctoris nomine tanquam noti viri laudari. Quod metaphysicorum loco ex Hippia plura, quam Aristoteli mos est, afferuntur, id quidem, quoniam Hippias minor per se suspectus, suspicionem

1) Cf. Schleiermacher Herakleitos. Museum der Alterthumswissenschaft. I. 3. p. 322.

moveat, citantem illum locum a posteriori aliquo metaphysicis additum esse. Vetat autem quodammodo antiqua Alexandri Aphrodisiensis auctoritas tum universum locum agnoscentis tum Hippiam Platoni tribuentis. Fortasse ex eo, quod Aristoteles Hippiam laudat nihil addens ad minorem a majori discernendum, aliquid argumenti ad Hippiae majoris aut certe nominis fidem elevandam peti possit, nisi qui, si dialectica horum dialogorum vis et sua cujusque virtus perpenditur, minorem Hippiam Platonis esse posse sibi persuaserit, is ad majorem quoque tuendum sit inclinaturus.

E Menexeno dictum quoddam commemoratur rhetor. III. 14., addito *Σωκράτης ἐν τῷ ἐπιταφίῳ*, omissa vero hac orationis funebris inscriptione, rhet. I. 9. Respici videtur Menexenus p. 335. d. Steph.

Gorgias laudatur Sophist. elench. I. 12., ubi Calliclis in Gorgia de legis et naturae repugnantia argumentatio tangitur. Cf. Gorgias p. 482. sqq. et si ipsa verba accuratius spectes p. 488. d. edit. Steph.

E Menone Platonicae *ἀναμνήσεως*, cujus veram causam Aristoteles in eo ponit, quod e generalibus partes statim agnoscuntur, mentionem reperias injectam analyt. prior. II. 21. analyt. poster. I. 1. Spectari maxime videtur locus Menonis a. p. 82. b. — 85. c., ut trianguli exemplum probat ab Aristotele allatum.

Ex Euthydemo sophismata commemorata invenias sophist. elench. 20. (II, 3.) 26. 34., in priori loco Eythydemi nomine adjecto, in his omisso.

E Symposio Aristophanis orationem p. 189. c. p. 193. d. edit. Steph. Aristoteles respicit. politic. II. 4. (3) scribens, *καθάπερ ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς ἔσμεν λέγοντα*

Ἀριστοφάνην, ὡς τῶν ἐρώντων διὰ τὸ σφόδρα φιλεῖν ἐπιθυμούντων καὶ γενέσθαι ἐκ δύο ὄντων ἀμφοτέρους ἕνα, quod est Aristophanis in symposio argumentum. Neque aliam ac fictam illam a Platone Aristophanis orationem innui, satis ex eo patet, quod Aristoteles Platonis politiam reprehendens id ipsum illo loco agit, ut Platonem e Platone quodammodo refutet.

Phaedo affertur de gen. et corr. II. 9., ubi ideae, quae, ut res et fiant et sint, in Phaedone causae dicuntur, examinantur. cf. Plat. Phaed. p. 96. sqq. edit. Steph. quod etiam, quanquam brevius, attingitur metaphys. I. 7. *A.* p. 30. Brand. XIII. 5. *M.* p. 269. Brand. Meteorol. II. 2., ubi festiva illa Phaedonis (p. 111. sqq.) de Tartaro et mari fabula tanquam nuda veritas subtilius agitari videtur, ut Aristotelem, si Aristotelis est, jure mireris locum magis poëticum quam philosophicum quasi ad vivum resecasse.

Platonis politia tractatur Aristot. politic. II. 1. 2., ubi universae Platonis sententiae de civitate, ut una sit, cogenda, de mulierum et bonorum communione et de magistratibus examinat, quae a libro Platonis secundo medio ad sextum usque librum leguntur. Aristot. politic. IV. 4. (3 Schn.) de causa, qua Plato civitates iniri dicit, cf. Plat. rep. II. p. 369. b. 374. a. St. Aristot. polit. V. 12. (10 Schn.) cf. Plat. rep. VIII. p. 546. sqq. edit. Steph. de civitatum mutationibus et numero Platonico. Aristot. politic. IV. 7. cf. Plat. rep. VIII. p. 545. b. — 569. c. de quadruplici civitatis formae descriptione. Aristot. politic. VIII. 7. cf. Plat. rep. p. 399. b. sqq. de harmoniae generibus in civitatem admittendis. Aristot. magn. mor. I. 33. (al. 34.) de justi notione, quatenus in recta officio-

rum cujusque ratione et proportione cernitur cf. Plat. rep. II. p. 369. d. Aristot. rhetor. III. 4. cf. Plat. rep. V. p. 469. d.

Leges commemorantur post politiam scriptae, Arist. pol. II. 6. init. (II. 4. Schn.) Cum loco Aristot. II. 7. de civium patrimoniis distribuendis conferend. Plat. legg. V. Arist. polit. II. 9. de Cretensium et Lacedaemoniorum republica, cf. legg. I. p. 630. d. 631. a.

Iam Timaeus superest, saepius ab Aristotele notatus. Aristotelis de Timaeo loca, etsi aliam eamque uberiorem disputationem postulant, tamen paucis enumeranda ducimus.

Timaeus nominatim tangitur Arist. phys. IV. 2. de materia et spatio uno eodemque posito, cui loco Simplicius confert, Plat. Tim. p. 52. a. b. edit. Steph. De coelo. I. 10. de sempiterna coeli natura cf. Tim. p. 31. b. de coelo II. 13. de tellure immota et axi mundano adstricta et circa eum quasi convoluta, cf. Timaeus p. 40. b. [1]) d. coelo III. 1. de corporum gravitate cf. Tim. p. 56. a. d. coelo III. 2. de elementis ante mundum conditum confusis. cf. Tim. p. 30. a. d. coelo III. 8. de substrata Platonis materia. cf. Tim. p. 51. b. d. coelo IV. 2. de gravitatis et ponderis causa. cf. Tim. p. 56. a. De gener. et corrupt. I. 2. de planis, in quae a Platone corpora solvantur. cf. Tim. p. 56. a. Eodem capite miro sane modo Plato de carnis, ossium et talium ortu egisse negatur, de quibus rebus in ex-

1) Cf. de hoc et Platonis et Aristotelis loco Boeckh de Platonis systemate coelestium globorum. p. VII.

tremo fere Timaeo disputavit. cf. Patricii discussiones peripateticae III. 6. p. 342. sq., qui Timaei loca ad Aristotelem, ut superbe loqui solet, mendacii convincendum singula congessit. D. gener. et corrupt. I. 8. de individua planorum natura a Platone elementis subjectorum cf. Tim. p. 56. b. p. 61. e. p. 81. d. p. 89. c. S. d. gen. et corrupt. II. 1. de substrati natura cf. Tim. p. 51. b. p. 50. b. d. gener. et corrupt. II. 5. de elementis inter se transformandis cf. Tim. p. 54. c.

De anima I. 2. de animae ortu. cf. Tim. p. 35. sq.

De sensu c. 2. de videndi causa et natura. cf. Tim. p. 45. c.

De respirat. c. 5. de respirandi causa et natura. cf. Tim. p. 79. b. sq.

Platonis Timaeus tacite respici videtur phys. III. 4. de coelo omnia, quae sunt, complectente et circumdante. cf. Tim. p. 33. c. phys. VIII. 1. de tempore una cum coelo nascente. cf. Tim. p. 37. d.

Est praeterea Aristotelis locus, d. anim. I. 3. med., qui, utrum de Timaeo, philosopho Pythagoreo, an de Platonis Timaeo dialogo agat, disceptari licet. Aristoteles ita quidem loci initium capit: *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ὁ Τίμαιος φυσιολογεῖ τὴν ψυχὴν κινεῖν τὸ σῶμα.* Quum Aristoteles non dixerit „Platonis Timaeus," sive, quod solet, „Plato in Timaeo": est sane, quod judices Timaeum intelligendum esse Pythagoreum. Sed eodem modo Platonis Timaeus laudatur de sens. 2, *ὥςπερ ὁ Τίμαιος λέγει*, ubi nulla potest esse dubitatio, quum paulo antea eadem in re scriptum sit *καὶ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται.* Sicut illis locis, ubi Platonis respublica disceptatur, scriptum reperias *ὁ Σωκράτης λέγει:* ita consentaneum est, hoc

quoque loco personam laudari, cui in dialogo disputatio commissa est. Quae sententiae presse indicantur, ita cum nostro Platonis Timaeo (p. 36. sq.) ad singula quaeque congruunt, ut, etiamsi Plato in hoc dialogo Pythagoreos maxime secutus sit, tamen vix credendum videatur, eorum vestigia tam arcte legisse, quam necesse esset, si hic locus aeque ad Timaeum Pythagoreum referri posset. Ita et quae ab Aristotele ad refutandum proponuntur, in Platonis Timaeum optime cadunt, sicut illud, non tam ψυχὴν gigni, quam νοῦν. Est in hoc quoque indicium aliquod, quod hunc locum, qui de animi motu agit, excipit quaestio, an animus sit harmonia; quae altera est illa Timaei ratio, ut, si quae inciderat commemoratio, hic ipse locus necessario quodam sententiarum nexu ad hanc harmoniae quaestionem traduceret. Quodsi quis illa verba συνεστηκυῖαν ἐκ τῶν στοιχείων minus ad animam a Platone genitam pertinere putet, siquidem terram, aerem, aquam, ignem elementa dicta existimet: is meminerit, antecedenti capite ipsum Aristotelem de ipso Platone attulisse: τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ, nec semper στοιχεῖα de crassa et manifesta materia intelligi, cf. metaphys. I. 6. *A.* p. 20. edit. Brand. — Neque articulus, ὁ Τίμαιος φυσιολογεῖ, negligendus videtur, quo ad dialogum significandum opus erat, nec vero, si philosophus ille Pythagoreus innuendus fuisset. Aristoteles enim ante philosophorum nomina, quae affert, articulum ponere non solet. Ac sane, quum nulla unquam, quantum scimus, apud Aristotelem Timaei philosophi sit memoria, haud dubie, si hic hoc loco intelligendus esset, distinctius indicatus fuisset. Acce-

dit, quod et Simplicius et Johannes Philoponus in commentariis hic Platonis Timaeum agnoscunt.

Hoc quidem loco mihi commemoranda est quaedam Platonis mentio in libris de gen. et corr. II. 3. *οἱ δέ εὐθὺς δύο ποιοῦντες, ὥςπερ Παρμενίδης πῦρ καὶ γῆν, τὰ μεταξὺ μίγματα ποιοῦσι τούτων, οἷον ἀέρα καὶ ὕδωρ· ὡςαύτως δὲ καὶ οἱ τρία λέγοντες, καθάπερ Πλάτων ἐν ταῖς διαιρέσεσι· τὸ γὰρ μέσον μίγμα ποιεῖ.* Iam veterum commentariorum scriptores, quo has Platonis *διαιρέσεις* referrent, laborarunt. Alexandri sententia a Johanne Philopono comprobata (v. ej. comm. fol. 50. b.), ad Platonicas scholas ab Aristotele conscriptas esse referendas, a recentissimo eoque peritissimo horum locorum judice accepta est, ita ut *διαιρέσεις* ad Aristotelis de Bono libros traherentur. [1]) Cujus sententiae certa quidem indicia desidero, ut interpretes, quum alias, ut patet, explicandi vias nequidquam tentassent, rem ad *ἄγραφα δόγματα*, id est, in ignotam fere terram amandasse videantur. Neque eos certum illorum Aristotelis librorum locum innuisse apparet. Quod enim Johannes Philoponus adjicit „*ἐν ἐκείνοις τοίνυν ὁ Πλάτων τὸ μέγα καὶ μικρὸν καὶ τὸ μεταξὺ τούτων ὑποτίθεται*," a ceteris testimoniis prorsus aberrat, ut medium illud inter magnum et parvum in explicationis gratiam fere confictum videatur. Ego quidem mihi persuasum habeo illo „*ἐν ταῖς διαιρέσεσι*" nullum alium indicari Platonis locum, quam illum Timaei (p. 35. Steph.) ubi *ταὐτὸν* et *θάτερον* ejusque mixtio distribuitur. Ibi ipse Plato ipso

1) Brandis de perditis Aristotelis libris p. 12. 13.

hoc verbo utens p. 35. c.: ἤρχετο δὲ διαιρεῖν. Quum ea, quibus illa distribuuntur, sint plura, pluralis ἐν ταῖς διαιρέσεσι suum habet locum. Quod illis materiae elementis, terrae et igni, de quibus dictum erat, haec Platonis intelligibilis rerum temperatio adjungitur, id minime obstat. Neque enim de simili vel diversa elementorum natura, sed de nudo eorum numero agitur. Quodsi in illis διαιρέσεσι et Platonicam quandam de materiae elementis sententiam exspectes: vix erit, quomodo illa quatuor Platonis in Timaeo elementa cum his tribus nostri loci in concentum redigas. Quae difficultas, illo Timaei loco posito, prorsus est nulla. Interpretes ad illas διαιρέσεις vel Platonis librum vel librum de Platone faciendas eo inducti videntur, quod a Platonicis a Speusippo et Xenocrate διαιρέσεις scriptas acceperant, cf. Diogen. Laert. IV. 5. 13. Ad quos fortasse Platonicos neque ad Platonem, ut temere factum est, referendae videntur αἱ γεγραμμέναι διαιρέσεις ab Aristotele de part. animal. I. 2. laudatae: ἔτι δὲ προσήκοι μὴ διασπᾶν ἕκαστον γένος οἷον τοὺς ὄρνιθας, τοὺς μὲν ἐν τῇδε, τοὺς δὲ ἐν ἄλλῃ διαιρέσει, καθάπερ ἔχουσιν αἱ γεγραμμέναι διαιρέσεις· ἐκεῖ γὰρ συμβαίνει τοὺς μὲν μετὰ τῶν ἐνύδρων διηρῆσθαι, τοὺς δὲ ἐν ἄλλῳ γένει, nisi omnino apertum hoc de animalibus argumentum de Platonicis cogitari vetet.

Quibus Platonis Timaeo vindicatis loca, ubi Platonis nomen additur, quantum quidem eorum copia nobis facta erat, attulimus. Cujus enumerationis exilem jejunitatem, modo plenae quodammodo collationi instituendae et controversiis quibusdam

componendis studeremus, non refugiendam esse censuimus.

Locis, quae apertum Platonis nomen gerunt, major fere eorum est copia, ubi Aristoteles in ipsa argumentatione Platonis, sicut aliorum, sententias tacite respicit: Quorum graviora, quae in Aristotele legendo mihi annotavi, quatenus ad nostram maxime quaestionem pertinent, hoc loco percensenda putamus. In quo quidem vereor, ne inventis plura me praeterierint; quo diligentius enim Aristotelem evolvo, eo frequentius, ut aliorum, ita Platonis sententias circumspectas invenio. In hac autem re spes me tenet, fore, ut intelligentes rei judices juveni, cujus esse non potest, integrum Aristotelem ipso cum Platone perpensum et excussum tenere, humaniter indulgeant. Haec quidem loca, ubi tacite Plato respicitur, magis, ut res fert, in Platone refellendo et diludicando, quam exponendo et enucleando versantur.

Ex his omnibus principem locum obtinent metaphysica I. 7. *A.* p. 28. edit. Brand., ubi fusa et continua oratione Platonis argumentorum momenta examinantur, idque ita, ut eorum, quibus antea (I. 6.) Platonis sententias contineri ostentum erat, aperta ratio habeatur. Mirum est, quod huic loco accidit. Major enim ejus pars in ipsis nostris metaphysicis, quae est dubia eorum et confusa forma, bis legitur. Repetuntur enim XIII. 4. *M.* p. 266. sqq. tres fere editionis Brandisianae paginae a verbis inde ὥςπερ δὲ ἀριθμῆσαι βουλόμενος ad illa usque καὶ διὰ τοιαύτας

αἰτίας οἵας καὶ τὰ ῥηθέντα νῦν. Quae haec loca inter se differunt, ea varia magis, quam diversa, et forti fortunae magis tribuenda, quam auctori. Uno tantum loco *M.* p. 268. pauca interjecta sunt, quae *A.* p. 29. omittuntur ante verba *Πάντων μάλιστα διαπορήσειε.* Quae, quum Aristotelis et argumentandi et dicendi πυκνότητα referant atque cum ceteris argumentis consentanea sint, primo libro excidisse arbitror. Hic quum sit universus locorum consensus, miror, duplicem dissensionem ab editoribus esse relictam, quae sententiam plane invertit, et, quum in parvulis vocibus posita sit, eo minus tolerari debebat. Prima est in loci principio, ubi p. 28. *καθ' ἕκαστον γὰρ ὁμώνυμον τί ἐστι καὶ παρὰ τὰς οὐσίας τῶν τε ἄλλων ὧν ἔστιν ἓν ἐπὶ πολλῶν.* Neque editiones ante Brandisium, quas quidem contuli, neque ille libri XIII. locus habent ὧν. Illatum videtur ex Alexandro Aphrodisiensi, siquidem e Sepulvedae versione recte colligi potest. Nec tamen inferendum putaverim, quum et discrepantiam moveat et sensum obscuret. Alexander quidem Aphrodisiensis, interprete Jo. Sepulveda, fol. 14. b.: „illud autem praeterque substantias caeterorum, quae sunt unum in pluribus et in his et in perpetuis rebus, hujusmodi est, praeter nostrates substantias sunt formae ipsis aequivocae et pari ratione praeter res a substantia diversas, quae sunt alia genera, in quibus est unum quiddam et commune in multis singularibus.“ Quae divisio, si e versione Alexandri mentem recte percipio, minus Platonica videtur nec propterea huic loco inculcanda. Quid enim est illud, quod dividat et nostrates substantias et res a substantia diversas, quarum utra-

rumque ideas ponere videtur? Quocirca equidem scribendum puto, ut antea scribebatur rejecto illo ὦν „ut sit et ceterarum rerum (i. e. τῶν αἰσθητῶν, ideis oppositarum) unum in multis h. e. ut sint ideae. — Deinde alia diversitas tollenda videtur. Legitur enim XIII. 4. *M.* p. 267. edit. Brand. συμβαίνει γὰρ μὴ εἶναι πρῶτον τὴν δυάδα, ἀλλὰ τὸν ἀριθμὸν καὶ τούτου τὸ πρός τι καὶ τὸ καθ' αὑτό. Contra I. 7. *A.* p. 28. edit. Brand. — — καὶ τὸ πρός τι τῶν (τοῦ) καθ' αὑτό. Sententiarum serie rite perpensa Aristoteles hoc sibi velle videtur: si genera ideae ponantur et ideae principia, numerum, utpote genus, potiorem et priorem esse oportere dyade quippe qua singulari quadem notione; si τὸ μέγα καὶ μικρὸν ideae principia ponantur (cf. infra), τὸ πρός τι (ejusmodi enim magnum et parvum, quatenus ad mensuram referri necesse est) prius videri quam τὸ καθ' αὑτό. Quam Aristotelis esse sententiam, facile locus ostendit, ubi haec pluribus tractantur XIV. 1. *N.* p. 291. sq. Br. Unde sicut libro I. legitur, recte se habet. Neque omnino scio, quae sana inesse possit alteri lectioni sententia. Nam quo jure Aristoteles Platoni vitio vertisset, quod τὸ καθ' αὑτό, quod per se est, prius fecerit numero atque qua causa τὸ πρός τι καὶ τὸ καθ' αὑτὸ inter se paria alterum juxta alterum, composuisset? — Quare etiamsi quis codicum verecundia utrumque locum ad verbum exaequare nolit, tamen talia, qualia inter se plane contraria sunt, admitti non licet. Si itaque codices manuscripti nullam lectionem praebent ad illa prioris libri verba propius accedentem, spreta vulgari, in ea acquiescendum puto, quam Brandisius in notis commemoravit πρός

τι καὶ τοῦτο τοῦ καθ' αὑτό." Haec enim eundem saltem fundit sensum. Utrumque locum conferenti haec quidem mihi sese obviam dederunt. Quae locus per se et in singulis difficilia objicit, haec tentare, ejus potius disputationis, ubi eo utendum erit.

Sequitur, ut cetera metaphysicorum loca nominemus, quae Platonem tacite tangere videntur. Ita III. 2. *B.* p. 43. et p. 46. edit. Brand., ubi idearum fit mentio, III. 3. *B.* p. 49. sq. edit. Brand., ubi quaestio est cum ideis maxime cognata, an genera sint rerum principia, III. 6. *B.* p. 59. Brand., ubi, quomodo a mathematicis ad ideas perveniendum fuit, ostenditur, si quidem principium quaerebatur et specie et numero unum, VII. 14. *Z.* p. 157. Brand., ubi difficultates quaedam in ideas conjiciuntur (neque idem neque aliud ac res ideas posse cogitari). Ita et IX. 8. *Θ.* p. 188. Brand. contra abstractas notiones ideas factas, X. 1. I. p. 211. Brand., ubi ex idearum natura interire nescia contra ideas disputatur, XI. 1. *K.* p. 212. Brand., ubi et ideae cum numeris et mathematica tanguntur, XI. 2. *K.* p. 214. 215. contra ideas χωριστὰς etc. XII. 3. *Λ.* p. 242. Brand. individua contra ideas tanquam genera, XII. 6. *Λ.* p. 246. Brand. contra ideas, quippe quibus desit et mutatio et motus, *Λ.* p. 258. XII. 10. contra ideas et numeros quanti et continui gignendi impotes, XIII. 9. *M.* p. 285. contra numerum idealem a mathematico sejunctum, XIV. 1. *N.* p. 290. Brand., ubi quaedam de diversa unius oppositione, XIV. 3. *N.* p. 298. Brand., de mathematicis, ubi festiva illa σαίνει τὴν ψυχὴν ipsius Platonicae dictionis vestigia capere ausim. Universi

fere libri duo posteriores Platonis et Platonicorum de ideis et numeris sententias respicere videntur. Locus, ubi Aristoteles, quid veri ideis subesse judicet, in pauca confert, legitur analyt. post. I. 11. Haec quidem de ideis maxime et numeris. — Cognatus est locus de anima I. 5. (extr.) *λέγουσι δέ τινες μεριστὴν αὐτὴν εἶναι καὶ ἄλλῳ μὲν νοεῖν, ἄλλῳ δὲ ἐπιθυμεῖν.* Quae verba, sicut quae ad horum refutationem sequuntur, Platonem spectare videntur, qui et libris de republ. IV. p. 440. Steph. tres animi partes inter se diversas divisit (*λογιστικὸν, ἐπιθυμητικὸν, θυμοειδές*) et in Timaeo diverso *τοῦ ταὐτοῦ* et *τοῦ ἑτέρου* (p. 36. Steph.) motu similia indicata voluisse videtur. — — Ad Platonem locum quoque physic. I. 3. extr. trahendum arbitror. Aristoteles nonnullos, qui Parmenidis et Zenonis rationibus cessissent, reprehendens (*ἐνίοι δὲ ἐνέδοσαν τοῖς λόγοις ἀμφοτέροις*) Platonem et Xenocratem significare videtur. Ipsum Platonis dialogi, qui Parmenides inscribitur, argumentum tangit (*τῷ μὲν, ὅτι πάντα ἕν, εἰ τὸ ὂν ἓν σημαίνει, ὅτι ἔστι καὶ τὸ μὴ ὄν*). Itaque si quis fuit, qui ipsa Platonicae dialecticae artificia, an Platonis sint, addubitanda censuit, ei, sicut ipsae dialogi rationes prohibent, ita et hoc Parmenidis et illud Sophistae, quod supra laudavimus, Aristotelis indicium objiciendum est [1]).

Sequitur tertium, quod posuimus, testimoniorum genus, ex antiquis commentariis in Aristotelem

1) Alia loca, ubi Aristoteli Platonis scripta, etsi ea non nominet, ante oculos versantur, minus ad nostram rem pertinent, ut ea, ubi Lysin (eth. Nicom. VIII. 1. 2. sq. 10.

scriptis petitum, grave illud quidem, si testimonia ex ipso Aristotele tanquam capite manarunt, perniciosum vero, si commenta pro testimoniis, mixta pro meris nobis proponuntur. Fieri potest, ut veteres commentariorum scriptores a florenti antiquitate propiores Aristotelis libris usi sint, qui nobis jam erepti. Quare eorum vestigia diligenter persequenda sunt. Quae, quantum ad nostram rem pertinent, egregie legit, Chr. A. Brandis in libello, quem jam laudavimus, de perditis Aristotelis libris de ideis et de bono s. philosophia. Hi enim ii ipsi libri, in quibus de Platone egerat Aristoteles. Citant quidem saepius eos interpretes. Ut tamen justa sit citati aestimatio, quaerendum est, an ipsi libris, quos citant, usi sint. Qua de re quaerenti dubium mihi visum est, an praeter Alexandrum Aphrodisiensem Syrianus, Simplicius et Joh. Philoponus ipsos hos adhibuerint libros. — Commemorant quidem libros praesenti tempore, ut illa aetate adhuc superstites fuisse consentaneum sit. Ita quidem Simplicius de bono s. philosophia ad Aristotel. phys. fol. 32. b. Joh. Philoponus ad l. d. an. I. 2. C. 2. ἔστι δὲ γνήσιον αὐτοῦ τὸ βίβλιον ad l. d. gen. et corr. II. fol. 50. b. (ὑποτίθεται). Syrianus in ipso commentarii fine σχεδὸν γὰρ κἀκεῖ τὰ αὐτὰ ταῦτα, ἀναγκαῖοι, ut quidem Brandisius (progr. l. p. 14.) locum Graece antea non editum

---

magn. mor. II. 11. Eudem. VII. 2. sq. 5.) vel apologiam Socratis (rhetor. II. 23. §. 13. 18. III. 18. §. 2. cf. Plat. apol. p. 27. b. c.) tangere videtur. Cf. Fr. Ast de Platonis vita et scriptis p. 433. sq. p. 492., cui horum Aristotelis locorum notitiam debemus, etsi eorum auctoritatem ad dialogos Platoni vindicandos submovere studet.

edidit. Syrian. ad XIII. 9. (Br. prog. p. 43.) *τοιαῦτα γὰρ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας ἱστορεῖ περὶ Πλάτωνος.* — Sed etsi libri tum temporis adhuc exstabant, tamen vix iis usi videntur. — Syrianus enim (ut ab hoc ordiar) in commentariis magis in Aristotele refutando, ut Platonem tueatur, occupatus, saepius loci difficultates silentio praetermittit, dum ad argumenta contra Aristotelem congerenda magno impetu ruit. Quantopere Syrianus, in diversis diversorum philosophorum sententiis separandis et distinendis parum versatus, Pythagorica et Platonica inter se confundat, id e prooemio libri XII. commentario praeposito satis superque perspicitur [1]), ut nec magna admodum fide dignus, nisi ubi aliorum auctorum testimonia affert, neque omnino Aristotelis libris ad Platonis sententias, quatenus a Pythagoricis differunt, accu-

1) Ita ex interpretat. Bagolini fol. 42. a.: „Divinus Pythagoras et omnes qui legitime illius dogmata purissimis sinibus suarum mentium susceperunt, multos dicebant esse substantiarum gradus intelligibilium et intellectualium cogitabilium et naturalium aut omnino vitalium et corporearum. nam et rerum processus et connata processibus ipsis diminutio, quae ordine quodam divino perficitur, et vis diversitatis in generibus entis multitudinem continuam pariter et discretam constituunt incorporearum et sensibilium percutientium substantiarum. tres itaque in latitudine entium gradus esse dicebant, intelligibilem, cogitabilem, sensibilem. singulis vero ideas esse omniquaque quidem, sed proprie ubique cum existentiae proprietate et intelligibiles quidem esse apud Deos, et causas eorum quae consequuntur effectivas, scilicet et exemplares et finales.“ Haec quidem exempli loco, quomodo universam, sicut sibi certe animo finxerat, Platonicae philosophiae construendi rationem ad Pythagoram transtulerit.

ratius cognoscendas usus esse videatur. Locus, quo novi aliquid e secundo de philosophia libro attulisse videatur (Brand. l. l. p. 47.), infra, ubi singula perlustrabimus, nobis erit percensendus. — — Multo majoris ponderis, quae Simplicius habet, hic omnium interpretum et diligentissimus et antiquae philosophiae peritissimus. Sed neque hunc illis Aristotelis libris usum esse, adducor, ut credam [1]), tum quod in horum librorum mentione saepius Alexandri Aphrodisiensis auctoritatem protendit (ausc. phys. fol. 32. b. 104. b.), tum quod ratione minus certa de iis loquitur fol. 104. b. (Brand. l. l. p. 30.) *καὶ ἴσως ὅτι σύμφωνα ἐκεῖνα ἦν τοῖς ἐν Φιλήβῳ γεγραμμένοις.* Nec Simplicius, quantum quidem e locis a Brandisio collectis intelligo (his enim nitor), novi quidquam ex his libris profert, nisi Alexandro auctore. — Ita et Joh. Philoponum libris ipsis destitutum fuisse crediderim. Quam expositionem ad librum d. anim. I. 2. affert, in ea quidem nonnulla ex Aristotele de bono sumta esse Brandisio visa sunt (l. l. p. 49.). Quod cur mihi quidem non probetur, e loci ipsius natura et conditione, quae pertractanda erit, infra ostendere studebo. — Themistium, qui, quantum

1) In loco ad ausc. phys. fol. 104. b. *οἷς ὁ Ἀριστοτέλης καὶ* etc. *ἀνεγράψαντο τὰ ῥηθέντα αἰνιγματωδῶς ὡς ἐῤῥήθη.* Duplex interpretatio locum habere potest, sive: conscripserunt perplexe dicta, ut fertur, sive: conscripserunt dicta ita perplexe, ut tradebantur. Si prior interpretatio vera, quae Porphyrium respiceret, de quo *διαῤῥοῦν ἐπαγγειλάμενος τὰ ἐν τῇ περὶ τἀγαθοῦ συνουσίᾳ αἰνιγματωδῶς ῥηθέντα*, hoc documento esset, Simplicium ipsos libros non tenuisse. Sed dubiis confidere nolumus.

quidem inveni, sōlum de philosophia librum laudat idque eo tantum loco (d. anim. I. 3.), quo Aristoteles hoc scriptum vel certe Platonis de philosophia scholas prior laudavit, neque quidquam proprii ex eo depromit, in his librorum testimoniis vix moramur. Unus igitur restat Alexander Aphrodisiensis, quem libros novisse et propter Simplicii testimonia et propter ipsius verba [1]) non dubito, etsi, quum ipsa Aristotelis verba non afferat, cautione opus est.

1) cf. Brandis l. l. p. 20. 32.

Jam his eo consilio expositis, ut, quae et quanta materia quaestioni nostrae subjecta sit, clarius pateat, videndum est, quid de prima et universa Platonis philosophia Aristoteles tradiderit.

Si in quaque quaestione, unde initium capiatur, et ad progressum et ad eventum maxime valet et quasi omen habendum est: haud spernenda est difficultas unde nostra quaestio proficisci debeat. Rei ipsius naturae fortasse consentaneum videatur, communem universae Platonis philosophiae notionem praeponere, et, hac duce, Aristotelis loca pertractare, ut generalia singulis, communia propriis tanquam fundamento sint. Sed quoniam cavendum est, ne quid nostri in Platonicarum sententiarum serie Aristoteli obtrudatur, et quum, quae Aristoteles de Platonis philosophia tradidit, eo, si fieri potest, sint componenda ordine, quo Plato suis sententiis intertexuerit, ut, quomodo ea Platonis mens genuit, ita nostra mente quasi iterum gignantur et renascantur: tutius esse videtur, ipsius Aristotelis vestigia sequi, si forte nos eo ferant, ut, quid Plato primum statuerit et quasi fontem aperuerit, quodammodo conjiciatur. Quare locum metaphys. I. 6. *A.* p. 20. [1]), qui viam monstraret, delegi.

1) Quum Fridericus Ast in libro haud obscuri nominis de Platonis vita et scriptis p. 19. hunc nostrum locum comme-

Aristoteles Platonis philosophiae originem acriter perspectam habebat. Sicut enim nihil in vita solitarium, ita et in philosophiae historia nulla sententia existere solet, omni aliarum commercio seclusa. Quemadmodum unicuique ab aetate sua semina traduntur et proprie animanda et latius propaganda, sic et Platonis philosophia non a prioribus philosophis avulsa, sed ex his quasi enata est, ita tamen, ut, quae vel ab una tantum parte vel diversa a diversa parte proposita acceperit, in notionem magis universam susciperet eàque e pugna concordiam, e discrepantia concentum gigneret. Ita eorum, quae ex aliis conceperat, suos fudit fructus. Paucis haec Aristoteles indicat: Post Pythagoricam Platonis exstitisse philosophiam. Platonem a prima juventute Cratylo usum et Heracliteis sententiis, omnia, quae sub sensus cadant, fluere nec certam earum esse scientiam, assuefactum esse, a Socrate contra de moribus quaerente atque communi notione definiente generalis notionis et definitionis fidem accepisse. Unde Platonem haec inter se contraria conciliantem ad ideas pervenisse statuendas, ut esset quidem communis definitio nec tamen ad res sensibus subjectas pertineret. cf. et XII. 4. *M.* p. 265. Brand. Plato itaque Heracliti philosophia a rebus, quae sensus feriunt, repulsus, a Socrate ad generalia adductus,

---

morans scrupulum, an Aristotelis sit liber, grammaticis antiquitus insidentem haudquaquam exemtum indicet: non alienum erit annotare, hunc primum librum, dignum sane tanto viro, jam ab Alexandro Aphrodisiensi Aristoteli firmis rationibus esse vindicatum cf. Alex. comm. in libros d. prim. phil. interpr. Sepulveda fol. 32. b. no. 29.

ut haec servaret, ideas invenit. Sed Socrates (cf metaph. XII. 4. *M.* p. 266. Brand.) nec generalia ne definitiones a rebus segregavit (*τὰ καθόλου οὐ χωρισι ἐποίει*), idearum vero auctores segregarunt et hae ideas appellarunt, (*οἱ δ' ἐχώρισαν καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων ἰδέας προσηγόρευσαν*) ut omnium, quae univers dicerentur, ideas esse consequeretur. Eadem ration I. 6. *A.* p. 20. Brand. *τά δ' αἰσθητὰ περὶ τὰ παρὰ ταῦτα*[1]. Quod *παρὰ* idem valet, atque illud *ἐχώρισαν*. De qua rum vocum in hac re vi et potestate, ne nunc loc seriem importune interpellemus, postea erit dicendum. — Aristoteles pergit, *καὶ κατὰ ταῦτα λέγεσθαι πάντα*, et ex his dici omnia. Jam quae sequuntur, dubia et lectione et interpretatione, ut nunc *demum* via munienda sit. *κατὰ μέθεξιν γὰρ εἶναι τὰ πολλὰ τῶν συνωνύμων ὁμώνυμα τοῖς εἴδεσι· τὴν δὲ μέθεξιν τοὔνομα μόνον μετέβαλεν· οἱ μὲν γὰρ Πυθαγόρειοι μίμησει τὰ ὄντα φασὶν εἶναι τῶν ἀριθμῶν, Πλάτων δὲ μεθέξει.* Ita quidem priora editiones veteres omnes, ut recte scriptum existimo. Quae ut intelligantur, tenendum est, quod Aristoteles de synonymorum et homonymorum

---

1) Paulo ante Brandisius l. 14. 15. *ἀδύνατον γὰρ εἶναι τὸ ποιοῦν ὅρον τῶν αἰσθητῶν τινος ἀεί γε μεταβαλλόντων οὕτως τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα τῶν ὄντων ἰδέας προσηγόρευσε.* Male antea scribebatur: *μεταβαλλόντων· οὕτος οὖν τὰ μὲν τοιαῦτα* in quo ratio nulla, cur subjectum, de quo agitur, pronomine demonstrativo adhibito certius significetur. Quod scriptum est ab editore recentissimo, in eo illud *οὕτως* e male ad aures accidit, quum periodum claudat, et a sensu non exigitur. Quare scribendum puto, nulla facta vocum transpositione, solo distinguendi signo translato sive *μετα βαλλόντων· οὕτως οὖν τὰ μὲν* etc. sive — quod praestat — *μεταβαλλόντων· οὕτως τὰ μὲν οὖν* etc.

discrimine statuit. Definitum invenias Aristot. categ. I. „synonyma et idem vocari et idem esse (*κατὰ τὴν οὐσίαν*), homonyma eodem nomine vocari, re diversa esse.“ *Ὁμώνυμα λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινόν· ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος. — — Συνώνυμα δὲ λέγεται, ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός.* Qui constans est Aristotelis verborum usus. Ita metaphys. IV. 4. *Γ.* p. 69. Brand. *ὥστε ἓν ἅπαντα ἔσται· συνώνυμα γάρ· καὶ οὐκ ἔσται εἶναι καὶ μὴ εἶναι τὸ αὐτὸ ἀλλ' ἢ καθ' ὁμωνυμίαν.* I. 7. *A.* p. 29. *εἰ δὲ μὴ τὸ αὐτὸ εἶδος* (i. e. genus et forma, non idea, ut e loco apparet), *ὁμώνυμα ἂν εἴη καὶ ὅμοιον ὥςπερ ἂν εἴ τις καλοίη ἄνθρωπον τόν τε Καλλίαν καὶ τὸ ξύλον, μηδεμίαν κοινωνίαν ἐπιβλέψας αὐτῶν.* Cf. si cui pluribus opus est, VII. 4. *Z.* p. 134. Brand. XI. 3. *K.* p. 216. — — Quodsi hunc loquendi usum in locum nostrum contuleris, *τὰ πολλὰ τῶν συνωνύμων* erunt multa, quae, quatenus eodem genere comprehenduntur atque ita eodem nomine significantur, notione et ratione una sunt eademque; haec vero ideas participando *ὁμώνυμα* erunt *τοῖς εἴδεσι* — *ὁμώνυμα* tantum, non *συνώνυμα* — ideae enim in aeterno quasi rerum (*τῶν ὄντων*) ordine collocatae eaedem quidem vocantur, sed non sunt eaedem, quae res sensibus perceptae (*τὰ αἰσθητά*). Ita *τὰ πολλὰ* generis partes, species, e Platonis usu. In eadem re de ideis Aristoteles saepius το *ὁμώνυμον* adhibet, ut metaph. I. 7. *A.* p. 28. Brand. *σχεδὸν γὰρ ἴσα ἢ οὐκ ἐλάττω ἐστὶ τὰ εἴδη τούτων, περὶ ὧν ζητοῦντες τὰς αἰτίας ἐκ τούτων ἐπ' ἐκεῖνα προῆλθον· καθ' ἕκαστον γὰρ ὁμώνυμόν τί ἐστι* etc. analyt. post. I. 11., ubi Aristoteles, etsi ideis rejectis, tamen ut et demonstratio et conclusio esse possit, generale quid

idque μὴ ὁμώνυμον esse oportere ostendit. δεῖ ἄρα τι ἓν καὶ τὸ αὐτὸ ἐπὶ πλειόνων εἶναι μὴ ὁμώνυμον — ubi illud μὴ ὁμώνυμον aperte respicit ideas, de quibus dixerat; sunt enim homonymae. Quam dicendi rationem ex ipso Platone ductam esse, Timaei loco probatur p. 52. a. Steph. τὸ δὲ ὁμώνυμον ὅμοιόν τε ἐκείνῳ (illi aeterno, τῷ κατὰ ταὐτὰ ἔχοντι εἴδει), δεύτερον· αἰσθητὸν, γενητὸν, πεφορημένον ἀεί. Quae quum Aristotelis locis congruant, non intelligo Alexandrum Aphrodisiensem ex interpr. Sepulvedae fol. 10. no. 39. „Secundum Platonem formae non sunt aequivocae iis, quae ad sui exemplar efficiuntur, sed univocae. qui fortassis in quibus univocum usurpat, in iis ipso (i. e. aequivoco, ut videtur) communius pro univoco utitur.“ Cui sententiae loca in dialogis reperire nescivi. — Hoc itaque rerum et idearum commercio fit, tum ut res ejusdem generis inter se sint synonymae, tum ut ideis homonymae. Ita illa, quae praecedunt „καὶ κατὰ ταὐτὰ λέγεσθαι“ nostris verbis et causa fulciuntur, et, quomodo ex iis dicantur, certius definiuntur. Quae quum ita et inter se et cum certo Aristotelis verborum usu consentiant, non est, cur illud ὁμώνυμα deleamus, ut Brandisius censuit. Ejecto enim hoc verbo, et ejicitur, quod Aristoteli in ideis constans est, et vix erit, quo tuearis fixam illam vocis συνωνύμων significationem. Quae quidem oblivioni esset danda, ut explicari posset: eorum, quibus idem, quod ideis nomen est [2]). Ceterum ea ratio, quae, si

1) Hengstenbergii Aristotelis metaphysicorum versio Germanica p. 16. „indem der Theilnahme nach das mannigfaltige sey, das mit den Ideen gleiche Benennung habe.“

abest praedicatum ὁμώνυμα, prima et proxima, ut εἶναι non sit copula, sed verbum substantivum, admodum probabilis esse et cum universo sententiarum nexu conspirare videatur. Omnia, quae sub sensus cadant, fluctuare, nec per se re vera esse; dum vero in idearum partem vocentur, esse harum consortio, unde fieri, ut etiam ab iis appellentur illa multa (τὰ αἰσθητά). Ita quidem esse et appellari, fluere et constare, sibi inter se responderent. Quae concinnitas commendatio quaedam facile videretur. At vero si haec velles depromere, εἶναι, ut voce signaretur, omnibus praepositum cuperes, εἶναι γὰρ κατὰ μέθεξιν, atque obscura quaedam et contorta genitivi τῶν συνωνύμων esset explicatio. Quidni enim συνώνυμα? — Accedit denique praeter ea, quae de statuto verborum usu diximus, quod Alexander Aphrodisiensis, quantum quidem e latina Sepulvedae translatione perspicio, illius vulgatae lectionis (ὁμώνυμα) testis est locupletissimus (fol. 10. n. 39.).

Jam Aristoteles μέθεξιν tenens addit: in hoc Platonem verbum tantum mutasse, Pythagoreos enim statuere res esse numeros imitando, Platonem ideas participando. Ita Brandisius μιμήσει, μεθέξει, Alexandro quoque auctore, quod magis definitum et perspicuum est, quam quod scribebatur μίμησιν et μέθεξιν. Quamquam, si conferas illud, quod paulo infra dicitur, οἱ δ' ἀριθμοὺς εἶναί φασιν αὐτὰ τὰ πράγματα, praetuleris fortasse μίμησιν (res non solum esse imitatione, sed imitationem ipsam): tamen accusativus μέθεξιν omnino non responderet Platonicae sententiae neque hae substantivorum formae activae hoc casu aptae essent. — Hanc μεθέξεως vocem in hac re apud Platonem proprium

habere domicilium, intelligas, si quo loco opus est ad Aristotelis testimonium confirmandum, e Platonis Phaedone p. 100. a. Steph. Sophista p. 259. a. Steph. Quaerendum autem est, quomodo Aristoteles Platonem nomen tantum mutasse dixerit; diversum enim videtur imitari, ac rei participem esse. Interest certe aliquid inter μίμησιν et μέθεξιν, ut aliter rem sibi cogitaverit Plato, aliter Pythagorei. Utrique enim in proprio verbo suae viae, qua ad notionem pervenerint, vestigium reliquerunt, Plato dialecticae, Pythagorei mathematicae et physicae. Ille, ut communi notione rebus fluxis constantiam afferret, ad τῶν ἰδεῶν μέθεξιν delatus est; hi, quoniam, quae sit numerorum in rebus vis, perspexerunt, has numerorum imitationem appellabant. Pythagorei, seposita eorum, quae in singula quaeque cadunt, infinitate, res ipsas numeros ésse vel certe eorum imaginem affirmabant; Plato autem hanc rerum infinitatem magis agnoscens eam temperavit et eo firmavit, quod in aeternarum idearum partem vocabat. Ab hac igitur parte Plato nomen tantum mutasse minus juste dici potest; neque enim notionem aliunde acceptam in suum usum convertit, sed propria proprie significavit. Sin autem id solum spectatur, an diversa vel numerorum vel idearum apud Pythagoreos et Platonem cernatur vis, acute quidem Aristoteles, re vera eandem esse rationem. Sive enim idearum sit μέθεξις, sive μίμησις, in rebus ipsis absoluta idea non apparet, sed infinitis iisque fluctuantibus rerum notis paene obruta. Unde et fieri existimo, ut Plato, ubi ideae ad rerum naturam conferuntur, hujus vocis μέθεξις minus sit tenax, ad Pythagoreorum usum propius

accedens. Ita in Timaeo εἰς ὁμοιότητα ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησε p. 30. c., ἀφομοιούμενον p. 50. d., ἀφομοιώματα p. 51. a. Steph., μίμημα p. 75., ὁμοιώματα Parmenid. p. 152. (cf. Brand. diatrib. laud. p. 27.) Ita et ideae ipsae παραδείγματα. Pl. Tim. p. 28. a. p. 38. a. Steph. — De hac idearum μεθέξει cf. et Aristot. mor. ad Eudem. I. 8.

Nostro quidem metaphysicorum loco Aristoteles addit, quaenam illa sit μέθεξις, quaeri omissum esse. Atque id recte sane, si, scire, quomodo aliquid fiat, id demum est, intelligere, quidnam sit [1]). Paulo quidem accuratius Aristoteles hanc μέθεξιν definit met. I. 7. *A.* p. 29. Brand. (cf. XIII. 4. *M.* p. 267.), ubi, postquam ostendit, ex iis, quae ponantur, ut ideae demonstrentur, non solum τῶν οὐσιῶν ideas esse sequi, sed etiam multorum aliorum, his quidem verbis pergit: κατὰ δὲ τὸ ἀναγκαῖον καὶ τὰς δόξας τὰς περὶ αὐτῶν, εἰ ἔστι μεθεκτὰ τὰ εἴδη, τῶν οὐσιῶν ἀναγκαῖον ἰδέας εἶναι μόνον· οὐ γὰρ κατὰ συμβεβηκὸς μετέχονται, ἀλλὰ δεῖ ταύτῃ ἑκάστου μετέχειν, ᾗ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται. In quo difficile est, quid sit illud ᾗ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται. Quod jam veteribus interpretibus ita negotia exhibuisse videtur, ut Alexander Aphrodisiensis (interpr. Sepulved. fol. 16. n. 63) annotare non vereatur „in hoc loco subjectum pro accidenti positum esse" — quae scilicet festiva quaedam esset dicendi perversio. — Sed addit: „in quibusdam exemplaribus scriptum esse: — — qua-

1) Cf. Pl. Phaed. p. 100. d. εἴτε παρουσία, εἴτε κοινωνία, εἴτε ὅπῃ δὴ καὶ ὅπως προσγενομένη.

tenus de subjecto dicitur.“ Quo confugio non opus est, modo ne interpreteris, ὑποκείμενον, subjectum. Etenim quum ὑποκείμενον id sit, quod rebus subest, quod singula complectitur et quasi fert, saepius est substrata materia. Ita, ne longinqua arcessam, 1, 3. *A.* p. 11. οὐ γὰρ δὴ τόγε ὑποκείμενον αὐτὸ ποιεῖ μεταβάλλειν ἑαυτό· λέγω δ' οἷον οὔτε τὸ ξύλον οὔτε ὁ χαλκὸς αἴτιος τοῦ μεταβάλλειν ἑκάτερον αὐτῶν· I. 7. *A.* p. 33. ἔτι δὲ τὴν ὑποκειμένην οὐσίαν ὡς ὕλην. Quibus ad nostrum locum accommodatis, omnia inter se consentient: idearum res esse participes, quatenus notione contineantur neque ad materiam, unde singula quaeque eaque fortuita suscipiuntur, sint referenda.

Si optima est ea refutatio, quae, postquam in alienam sententiam sese quasi insinuavit, ostendere scit, quomodo ex hac ipsa ulterius quid et aliud, quam ipsa sententia, consequatur: hac Aristoteles, ut saepius, ita hoc loco usus est. Neque enim hanc μέθεξιν ultimum esse, in quo quis acquiescat, sed eam ipsam aliud quid postulare, metaphys. I. 7. *A.* p. 30. Brand. XIII. 5. *M.* p. 269. Brand. καίτοι τῶν εἰδῶν ὄντων ὅμως οὐ γίγνεται τὰ μετέχοντα, ἂν μὴ ᾖ τὸ κινῆσον. Quem motum, sicut motus Aristotelicae philosophiae quasi anima, Aristoteles saepissime contra Platonem urget.

Iam Aristoteles (metaphys. I. 6. *A.* p. 20. Brand.) in Platonis sententiis enodandis ita pergit: ἔτι δὲ παρὰ τὰ αἰσθητὰ καὶ τὰ εἴδη τὰ μαθηματικὰ τῶν πραγμάτων εἶναί φησι μεταξύ, διαφέροντα τῶν μὲν αἰσθητῶν τῷ ἀΐδια καὶ ἀκίνητα εἶναι, τῶν δ' εἰδῶν τῷ τὰ μὲν πολλ' ἄττα ὅμοια εἶναι, τὸ δὲ εἶδος αὐτὸ ἓν ἕκαστον μόνον. Consentiunt haec iis, quae Plato libro reipublicae VI. sub fin. et VII. de mathematicis disci-

plinis pulcherrime exposuit. Haec Platonis mathematica Aristoteles saepius τὰ μεταξύ vocat, loquendi formula, ut videtur, a Platone aut Platonicis accepta. — Ita metaphys. I. 7. *A.* p. 31. ἔτι δὲ ἀναγκαῖον ἕτερόν τι γένος ἀριθμοῦ κατασκευάζειν, περὶ ὃ ἡ ἀριθμητικὴ καὶ πάντα τὰ μεταξὺ λεγόμενα ὑπό τινων ἁπλῶς, III. 2. *B.* p. 46. Brand. XIII. 2. *M.* p. 261. Brand.

Quod adjicitur, τὸ δὲ εἶδος αὐτὸ ἓν ἕκαστον μόνον, id ideam tanquam unum et singulare quid significat. Illo αὐτὸ nominibus praefixo eorum ideam indicari Aristoteles luculenter docet, metaphys. VII. 16. *Z.* p. 161, qui et Platonis usus in Sophista, Phaedone etc. Aristoteles, sicut nostro loco, ita pluribus voce αὐτοέκαστον utitur, ut universam ideam denotet. Cf. magn. mor. I. 1. καίτοι οἴονταί γε δεῖν, ἅτιαν ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ λέγωσιν, ὑπὲρ τῆς ἰδέας δεῖν λέγειν· ὑπὲρ γὰρ τοῦ μάλιστα ἀγαθοῦ φασι δεῖν λέγειν· αὐτὸ δὲ ἕκαστον μάλιστ' ἐστι τὸ τοιοῦτον, ὥςτε μάλιστ' ἂν εἴη ἀγαθὸν ἡ ἰδέα, ὡς οἴονται. Eodem modo αὐτοέκαστον eth. ad Nicom. I. 4. metaph. XIII. 8. *M.* p. 281. Brand. Quam ideae vocandae rationem sive Aristoteles invenit, sive accepit (apud Platonem autem legere non memini), hac subtiliter sane, quod ideis proprium est, comprehenditur. Id enim in ea conjunctum, ut idea, quamquam genus et communis definitio, ad unam tamen et certam formam (ἕκαστον) revocetur, ut generalis notio solummodo in cogitando sita et singularis species ex intuendo nata in unum coalescant, neutra vero restinguatur.

Aristoteles de Platonis ideis ita pergit (metaph. I. 6. *A.* p. 20): ἐπεὶ δ' αἴτια τὰ εἴδη τοῖς ἄλλοις, τὰ μεῖζον στοιχεῖα ἁπάντων ᾠήθη τῶν ὄντων εἶναι στοιχεῖα.

In quibus Aristoteles Platonis Phaedonem sequi videtur, quem in eadem re significat metaphys. I. 7. *A.* p. 30. Brand. d. gen. et corr. II. 9, in quo loco ideae tanquam causae rationem certius definiens haec scribit: *καὶ ὅτι εἶναι μὲν ἕκαστον τούτων λέγεται κατὰ τὸ εἶδος· γίνεσθαι δὲ κατὰ τὴν μετάληψιν καὶ φθείρεσθαι κατὰ τὴν ἀποβολήν.* Cf. Plat. Phaed. p. 100. c. Steph. Ceterum illud *αἴτιον* multiplici ratione dicitur, ut videndum sit, qua mente Aristoteles *αἴτιον* in ideas contulerit. Quem in finem locum Aristotelis metaphysicorum I. 3. *A.* p. 9 Brand. afferendum existimo: *τὰ δ' αἴτια λέγεται τετραχῶς, ὧν μίαν μὲν αἰτίαν φαμὲν εἶναι τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι* [1])· *(ἀνάγεται γὰρ τὸ*

---

1) Quum fixae et constantis Aristotelis dicendi formulae *τὸ τί ἦν εἶναι* s. *τὸ τί ἦν* mentio inciderit, liceat mihi occasione oblata ita uti, ut, quod in hoc dicendi modo obscurum videatur, paucis illustrem. Quaeritur, quae tandem in hac dictione propria sit formae imperfecti *ἦν* ratio et conditio? Omni linguae usui facile aptius putaveris *τὸ τί ἐστι.* Sed disertis verbis Aristoteles alterum ab altero discernit, metaphys. VII. 4. Z. p. 134. Brand. *διὸ καὶ γνῶν ἐπεὶ τὸ λεγόμενον φανερὸν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι ὁμοίως ὑπάρξει πρώτως μὲν καὶ ἁπλῶς τῇ οὐσίᾳ εἶτα καὶ τοῖς ἄλλοις, ὥσπερ καὶ τὸ τί ἐστιν οὐχ ἁπλῶς τί ἦν εἶναι, ἀλλὰ ποιῷ ἢ ποσῷ τί ἦν εἶναι.* (Illius *τὸ τί ἐστι* exempla v. metaph. VII. 9. Z. p. 144. XIII. 4. p. 266. Brand.). E loco laudato intelligitur, *τὸ τί ἐστιν* ab Aristotele severius adstringi ad rationem, quale quid sit vel quantum sit, ut *τὸ τί ἦν* generalius et latius dicatur. Quod discrimen quomodo inest his formis inter se diversis (*ἐστὶ — ἦν*)? Fortasse Aristoteles propterea imperfectum *τὸ τί ἦν* elegit, quod *οὐσία*, forma, in qua hoc *τὸ τί ἦν* positum est, ante materiam et prior menti informatur. Unde *τὸ τί ἦν* proprie illud, quod res esset, si a materia secretum et per se poneretur abstractum. Etsi hanc explicationem Platonis ideas quodammodo olere judicaveris, egregie tamen probatur loco Aristotelis, metaph.

διὰ τί εἰς τὸν λόγον ἔσχατον, αἴτιον δὲ καὶ ἀρχὴ τὸ διὰ τί πρῶτον), ἑτέραν δὲ τὴν ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον, τρίτην δὲ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, τετάρτην δὲ τὴν ἀντικειμένην αἰτίαν ταύτῃ, τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν (τέλος γὰρ γενέσεως καὶ κινήσεως πάσης τοῦτ' ἐστί). E quibus altera et tertia ratio ab ideis excludenda. Illa enim ideis contraria, haec Aristoteli saepe desiderata. Prima hoc loco maxime in ideis spectatur; nec quarta ab iis aliena, cf. mor. ad Eudem. I. 8. magn. mor. I. 1. ad Nicom. I. 4.

In illo (metaph. I. 6. *A.* p. 20. Brand.) *τἀκείνων* (idearum) *στοιχεῖα ἁπάντων ὠήθη τῶν ὄντων εἶναι στοιχεῖα*, ne quis *στοιχεῖα* ad ideas relata, quippe quae vulgo materiae tantum tribuantur, miretur, *στοιχεῖα* apud Aristotelem notionum quoque intelligibilium (*τῶν νοητῶν*) dicuntur. Cf. metaph. l. 5. *A.* p. 16. (*τῶν ἀριθμῶν*) XIII. 7. *M.* p. 274. V. 3. *Δ.* p. 90. Brand. d. anim. l. 3. med.

Iam in iis, quae sequuntur (metaphys. I. 6. *A.* p. 21. Brand.) Aristoteles minus de ideis ipsis, quam de idearum cum numeris commercio agit, ut ideae ad numeros traducantur, numeri ad ideas referantur. Cujus rei pleniorem notitiam Aristoteli potissimum debemus. Priusquam ad hanc transimus, aliquantulum adhuc in ideis per se solis consistere licebit.

VII. 7. Z. p. 140. Brand. *ὥστε συμβαίνει τρόπον τινὰ τὴν ὑγίειαν ἐξ ὑγιείας γίνεσθαι καὶ τὴν οἰκίαν ἐξ οἰκίας, τῆς ἄνευ ὕλης τὴν ἔχουσαν ὕλην· ἡ γὰρ ἰατρικὴ ἐστι καὶ οἰκοδομικὴ τὸ εἶδος τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας. λέγω δ' οὐσίαν ἄνευ ὕλης τὸ τί ἦν εἶναι.* Cf. VII. 7. Z. p. 139. Brand.

Ex iis, quae tractata sunt, apparere videtur, Aristotelem ideas minus cepisse, ut contraria notionis vi subigentes et conciliantes, ut contrariorum, quibus per se ab altero ad alterum dialectica jactamur, inter se consensum, ne dicam unitatem, quemadmodum eas Plato in Parmenide et Sophista ostendit, sed magis, quemadmodum in Phaedone, quem laudat, quae sit idearum ad res sensibus expositas vis et ratio, atque, quemadmodum in libro Platonis reipublicae VII. significatum est, quî ad virtutem et vitae bonum pertineant (cf. eth. ad Nicom. I. 4. magn. mor. I. 1. ad Eudem. I. 8). Quamquam illud, „omnia fluere," e quo quidem in Phaedone ideae non enatae sunt, sed quod Aristoteles ideis *locum* dedisse iisque quasi victum esse tradit, isti contrariorum inter se repugnantiae non dissimile credas: tamen multum interest, utrum haec fluxae nec sibi constantis rationis sententia magis e rerum natura concepta sit, an haec contrariorum repugnantia dialectice ipsa notione sese obtulerit. Quodsi ab hac quidem parte Aristoteles Platonis ideas minus curavit, ex eo non colligendum est, Aristotelem Platonis Parmenidem et Sophistam sive non novisse sive non agnovisse. Eorum enim apud Aristotelem vestigia supra monstravimus.

Quaestio est celebratissima antiquae philosophiae scriptoribus de idearum, quam dicunt, substantia, an Plato ideas substantias fecerit necne. Quae substantiae vox ambigua. Solent enim *οὐσίαν* substantiam vertere. *Οὐσία* quidem in ideas omnium maxime cadit, quoniam sunt *ὄντως ὄν*. Sed substantiae quaedam subrepere solet materiae, quae locum teneat,

species. Haec vero ab illa οὐσίᾳ per se omnino abest, ut satis testatur locus metaph. VII. 7. *Z.* p. 140. Brand. Unde hoc philosophandi subtilitati dandum fuisset, ut οὐσία essentia diceretur, etiamsi vox non jam a Cicerone excusa et Senecae auctoritate sancita esset (cf. Senec. ep. 58). Quae essentia idearum est. Errori autem, quo substantia quaedam in coelo aut quovis alio loco posita ad ideas refertur, illa maxime animi ante hanc vitam in coelo circumacti ibique ideas intuentis in Phaedro descriptio, pulcherrima illa quidem, sed fabulae imaginibus et coloribus induta, occasionem praebuisse videtur. Jam dudum e Platone et maxime ex ejus Parmenide ostentum est, quae vera in hac re idearum sit ratio. Sed hoc loco quaerendum est, quomodo ideas esse Aristoteles intellexerit. Est vox, quae de hac idearum ratione identidem apud hunc redit, Platonem ideas a rebus segregatas fecisse (χωρίσαι, χωριστὰς ποιῆσαι) et praeter res posuisse (παρὰ τὰ αἰσθητά). Ita metaphys. I. 6. *A.* p. 20. Brand. XIII. 4. *M.* p. 266. VII. 14. *Z.* p. 157. Brand. eth. ad Nicom. I. 4. magn. mor. I. 1. ad Eudem. I. 8. etc. — Quibus verbis facile inducaris, ut credas, Aristotelem tradere ideas exstantes praeter res, eamque sententiam confirmes quodammodo e ratione, qua contra hanc segregatam a rebus idearum naturam disputat, ut metaphys. III. 2. *B.* p. 46. Brand. Quo loco quum duplex ratio, qua esse ideas cogitari possit, sive praeter res sive in rebus, inter se opponatur et utraque refellatur: facile putes, universam disputationem parum sibi constare, nisi cogitasset Aristoteles, ideas et τὰ μεταξύ, etsi praeter res singulas sensibus subjectas, tamen in ipsa

rerum natura poni. Nonnulla certe verba illam ipsam Phaedri de ideis in coelo collocatis sententiam innuere videantur: *πολλαχῇ δὲ ἐχόντων δυσκολίαν, οὐθενὸς ἧττον ἄτοπον τὸ φάναι μὲν εἶναί τινας φύσεις περὶ τὰς ἐν τῷ οὐρανῷ, ταύτας δὲ τὰς αὐτὰς φάναι τοῖς αἰσθητοῖς πλὴν ὅτι τὰ μὲν ἀΐδια τὰ δὲ φθαρτά.* Illud enim *εἶναί τινας φύσεις περὶ τὰς ἐν τῷ οὐρανῷ* nihil aliud esse potest, nisi esse substantias circa eas, quae sunt in coelo, si quidem de scriptura constat. Invenio autem apud Alexandrum Aphrodisiensem, quae lectionem in dubium vocent. Sepulvedae enim versio (fol. 32. b. n. 30.) haec habet: „praeter eas, inquit, quae sunt in coelo i. e. praeter sensibiles et quae in mundo habentur. Nam nondum coelum appellat, quasi dicat in loco existentes et natura consistentes — has enim proprie in coelo esse ait"; e quibus conjicias veram lectionem esse *παρὰ*, non *περὶ*. Esto. Quid autem „praeter res, quae sunt in coelo"? Obscura, quae ab interprete addita sunt. Non est, cur ideas praeter eas solum res ponat, quae sunt in coelo. Quidni praeter omnes? An fortasse ex Aristotelis mente addita, utpote qui coelestia aeterna ponit, ita ut indicetur: aeterna fecisse praeter ipsa coelestia, quae sunt aeterna. Sed res in dubio relinquenda, donec melior lux affulgeat. — Ideas in loco poni substantias, possit quidem e sequentibus magis magisque depromi, quum Aristoteles hanc instituat similitudinem: qui ideas ponant, ut hominis ideam, non secus facere, atque eos, qui Deos ponant, sed hominum similes. — Nihilominus tamen omnia haec nec luculenter ideas locum tenere affirmant, nec, si affirmarent, in Platonem admit-

tenda essent, praesertim quum universa disputatio nullius nomen commemoret, nec tam alicujus rationes tradat et explicet, quam ex iis consequentia nectat et quasi implicet. Aristoteles potius duobus locis aperte tradit, Platonem ideas in loco posuisse nullo. Phys. III. 4. *Πλάτων δὲ ἔξω μὲν οὐδὲν εἶναι σῶμα* (i. e. *ἔξω τοῦ οὐρανοῦ*) *οὐδὲ τὰς ἰδέας διὰ τὸ μηδέ που εἶναι αὐτάς.* Prius illud e Platonis Timaeo p. 33. c. Steph. Posterius hoc dilucide indicat, abesse ab ideis talem substantiam, qualis materiam et locum requirat. Ita etiam phys. IV. 2. *Πλάτωνι μέντοι λεκτέον, εἰ δεῖ παρεκβάντας εἰπεῖν, διὰ τί οὐκ ἐν τόπῳ τὰ εἴδη καὶ οἱ ἀριθμοί, εἴπερ τὸ μεθεκτικὸν ὁ τόπος, εἴτε τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ ὄντος τοῦ μεθεκτικοῦ, εἴτε τῆς ὕλης, καθάπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραφεν.* In quo haec inesse videntur: Res idearum participes; si vero locus *τὸ μεθεκτικὸν* i. e. medium id, quo participes fiunt: consentaneum est, ad ideas quoque locum pertinere. Plato vero negavit. — Itaque si sunt ideae a rebus sejunctae nec tamen alicubi extra eas positae: nihil restat, nisi ut menti insint eique obversentur, ita tamen, ut in ea non rebus genitae et ex his haustae sint, sed praeter res et ante res conceptae tanquam divina rerum exemplaria. Quo pertinet fortasse locus de anima III. 4, quem, sicut de ideis loquitur, ita Platonem spectare arbitror; ubi breviter quidem, sed adstricte: *διὸ οὐδὲ μεμίχθαι εὔλογον αὐτὸν* (i. e. *τὸν νοῦν*) *τῷ σώματι· ποιὸς γὰρ ἄν τις γίγνοιτο, θερμὸς ἢ ψυχρὸς κἂν ὄργανόν τι εἴη, ὥςπερ τῷ αἰσθητικῷ· νῦν δὲ οὐδέν ἐστι. καὶ εὖ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν, πλὴν ὅτι οὐτὲ ὅλη, ἀλλ' ἡ νοητική, οὔτε ἐντελεχείᾳ, ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη.* Unde, quae sit vera

idearum sedes, intelligitur. Platonicam vero sententiam Aristoteles ita coercet et inflectit, ut menti idearum i. e. ex Aristotelis sententia (cf. analyt. post. I. 11.) notionum generalium tribuat facultatem, nec tamen insitam ipsam possessionem; mentem idearum concipiendarum esse capacem, nec tamen datarum per se dominam; adesse idearum conditiones, modo, ut ipsae sint, agat cogitatio. Quod, sicut justo inter δύναμιν et ἐντελεχείαν discrimine, ita loco subsequenti probatur. διὸ διῄρηται πρότερον, ὅτι δυνάμει πως ἐστὶ τὰ νοητὰ ὁ νοῦς· ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν μὴ νοῇ. Egregie his consentire Platonis ἀνάμνησιν (cf. Men. p. 82—85. Steph.) facile observes. Quod ἀνάμνησις ducta ex humani animi natura pulchra quadam imagine significat, id hoc Aristotelis dicto subtiliori notionis definitione exprimitur.

Ita etsi veram idearum rationem, quomodo sint, Aristoteles agnoscit, tamen in ideis dijudicandis eam minus firmiter tenuisse videtur; ab hac enim aberrant plures rationes ad idearum a rebus segregationem refellendam conjectae (cf. metaph. III. 2. *B.* p. 46. p. 47. Brand. eth. ad Nicom. I. 4.).

Haec quidem ea sunt, quae de universis ideis per se positis ex Aristotele afferenda habuimus.

Iam, si locum illum nostrum principem (metaph. I. 6. *A.* p. 20. Brand.) sequimur, ad eam deducimur partem, qua numeros attingunt.

Sunt autem haec, quae adjunguntur: *ἐπεὶ δ' αἴτια τὰ εἴδη τοῖς ἄλλοις, τἀκείνων στοιχεῖα ἅπάντων ᾠήθη τῶν ὄντων εἶναι στοιχεῖα· ὡς μὲν οὖν ὕλην τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν εἶναι ἀρχάς, ὡς δ' οὐσίαν τὸ ἕν· ἐξ ἐκείνων γὰρ κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνος τὰ εἴδη εἶναι τοὺς ἀριθμούς.* In iis, quae subsequuntur, Platonis cum Pythagoreis sententiae componuntur. Haec autem, quae proposuimus, nos in idearum et numerorum quasi officinam altius descendere jubent.

Ideis materiam magnum et parvum esse dicit idque uni tanquam formae oppositum. Quod haud multo post in Pythagoreorum placitis conferendis ita tradit, Platonem pro infinito ut uno dyada posuisse. *τὸ δὲ ἀντὶ τοῦ ἀπείρου ὡς ἑνὸς δυάδα ποιῆσαι, τὸ δ' ἄπειρον ἐκ μεγάλου καὶ μικροῦ τοῦτ' ἴδιον* (Platoni) [1]), tum *τὸ δὲ δυάδα ποιῆσαι τὴν ἑτέραν φύσιν διὰ τὸ τοὺς ἀριθμοὺς ἔξω τῶν πρώτων εὐφυῶς ἐξ αὐτῆς γεννᾶσθαι*

1) Si qui ex hoc loco depromserunt, Pythagoreos monada posuisse infinitum, Platonem contra dyada, ut utrorumque plane inversa esset ratio: ii et sententiarum seriem et verborum usum minus caute circumspexisse videntur. Quem autem locum praeter hunc, ut in hac re sive inter Pythagoreos sive inter Pythagoram et Platonem dissensionem moveant, afferre solent (Krug Gesch. d. Philos alter Zeit p. 96): in eo ab aperto universi nexus consilio plane recedunt. Est hic Arist. phys. I. 6. Opponuntur autem Ionici et Pythagorei, nec Pythagorei inter se aut Plato et Pythagorei. Nam postquam Aristoteles, quae Ionici philosophi de principiis statuerunt, brevi percensuit, haec addit: *ἀλλὰ πάντες γε τὸ ἓν τοῦτο* (i. e. unam materiam illam, quam primi illi physiologi subjecerunt) *τοῖς ἐναντίοις σχηματίζουσιν, οἷον πυκνότητι καὶ μανότητι καὶ τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον. ταῦτα δ' ἐστὶν ὅλως, ὑπεροχὴ. δηλονότι καὶ ἔλλειψις, ὥσπερ εἴρηται πρότερον. καὶ ἔοικε*

ὥσπερ ἐκ τινὸς ἐκμαγείου, denique ὅτι αὕτη (i. e. ἡ ὕλη ἡ ὑποκειμένη) δυάς ἐστι τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν.

Quae loca ita accepta sunt, quasi Plato obscuros numeros sectans magnum et parvum indefinitam fecerit dyada, illam a Pythagoreis excogitatam [1]), et apud posteriorum seculorum philosophos celebratam. Cujus rei ut hic, ita similibus locis veteres potissimum interpretes auctores fuerunt. Iam Brandisius (libro laud. p. 27) monuit, vocabulum indefinitae dyadis Platonicis recentioribusque Pythagoreis proprium esse neque ante illos usurpatum. Sed ut vera vis perspiciatur, loca diligentius erunt examinanda.

Prior locus, τὸ δὲ ἀντὶ τοῦ ἀπείρου ὡς ἑνὸς δυάδα ποιῆσαι, si illa ὡς ἑνὸς δυάδα inter se opposita rite perpendas, id sibi velle videtur, Platonem, quod Pythagorei unum statuebant infinitum, duplex evolvisse, ita ut voce dyadis non ipse binarius numerus,

---

παλαιὰ εἶναι καὶ αὐτὴ ἡ δόξα, ὅτι τὸ ἓν καὶ ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις τῶν ὄντων εἶσι (id quod Platonis unum ipso cum magno et parvo respicere videtur)· πλὴν οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον· ἀλλ' οἱ μὲν ἀρχαῖοι τὰ δύο μὲν ποιεῖν, τὸ δὲ ἓν πάσχειν· τῶν δὲ ὕστερόν τινες τοὐναντίον, τὸ μὲν ἓν ποιεῖν, τὰ δὲ δύο πάσχειν φασὶ μᾶλλον. — ubi οἱ ἀρχαῖοι illi sunt physiologi, qui, ut loco plane simili Aristot. phys. I, 4, ex uno tanquam substrata materia excernunt contraria, τῶν δὲ ὕστερόν τινες sive Pythagorei, qui τὸ ἓν a communi materia ad communem notionem avocarunt, unitatis, ut numeri naturam propius spectantes, sive, id quod fere probabilius, quum τὰ δύο, non ἡ δυάς, dicta sint, Plato cum ipsis discipulis.

1) Cf. Boeckhii Philolaus p. 55.

sed nihil nisi intima duplicis cujusdam conjunctio indicetur. Ita Aristoteles magnum et parvum haud inter se dissociabilia, ipso fortasse Platone auctore, dyada quandam dixit. Quae interpretatio in omnia, quae apposui, loca optime cadit, idque eo magis, quum in omnibus, omisso articulo, legatur δυάδα, neque vero τὴν δυάδα, quae quidem certam illam numerandi notam designaret. Si quis dubitet, an omnino haec duorum conjunctio dyade significari soleat, ei satisfaciet, puto, locus physicorum I. 9., ubi Aristoteles tribus principiis a se expositis (cf. I. 7.) tria Platonis (τὸ ἕν, τὸ μέγα καὶ μικρόν) opponit: οἱ δὲ τὸ μὴ ὂν τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν ὁμοίως ἢ τὸ συναμφότερον, ἢ τὸ χωρὶς ἑκάτερον (suppl. φασὶ), ὥστε παντελῶς ἕτερος ὁ τρόπος οὗτος τῆς τριάδος κἀκεῖνος· μέχρι μὲν γὰρ δεῦρο προῆλθον, ὅτι δεῖ τινα ὑποκεῖσθαι φύσιν· ταύτην μέντοι μίαν ποιοῦσι· καὶ γὰρ εἴ τις δυάδα ποιεῖ λέγων μέγα καὶ σμικρὸν αὐτήν, οὐθὲν ἧττον ταὐτὸν ποιεῖ· τὴν γὰρ ἑτέραν παραεῖδε τὴν στέρησιν. Ex quo loco, quaestione, cur magnum et parvum τὸ μὴ ὂν dictum sit, ad posteriorem disputationem remissa, nunc id tantum colligendum est, tum intimam tradi magni et parvi copulationem, ut utrumque unum sit, tum τὴν τριάδα nihil esse, nisi hanc trium conjunctionem. Quodsi Aristoteles tria ab ipso constituta principia, quae sunt τὸ εἶδος, ἡ ὕλη, ἡ στέρησις, triada vocavit, ut recte Simplicius (fol. 54), quis erit, qui et huic viro numeri arcana obtrudat? — Quae attuli e metaphysicorum loco (I. 6. *A.* p. 21. 22. Brand.), ea sola sunt, quantum scio, in quibus Aristoteles Platoni dyada quandam tribuit, nisi forte ad Platonem trahendus locus metaph. XIV.

3. *N.* p. 299. Brand. *καὶ ἅμα τὸν ἀριθμὸν γενέσθαι ἄλλως ἢ ἐξ ἑνὸς καὶ δυάδος ἀορίστου ἀδύνατον κατ' ἐκεῖνον.* Ubi si *ἐκεῖνος* Plato esse videatur, tenendum est, non dictum esse *τῆς ἀορίστου δυάδος* — id quod certum illum numerum significaret — sed *δυάδος ἀορίστου*, omisso articulo, i. e. e duobus quibusdam indefinitis inter se conjunctis.

Frequens quidem talis indefinitae dyadis memorandae injecta esset opportunitas, si eam magnum et parvum Aristoteles existimasset. Saepius in metaphysicis de *ἀορίστῳ* hac dyade, sed nihil de Platone ejus auctore. Est locus metaphysicorum XIV. 2. *N.* p. 295. Brand. ubi magnum et parvum et indefinita illa dyas, etsi similia, tamen inter se distincta *indicantur*: *ἄτοπον δὴ τὸ ὅπως μὲν πολλὰ τὸ ὄν, τὸ τί ἐστι ζητῆσαι, πῶς δὲ ἢ ποιὰ ἢ ποσά, μή. οὐ γὰρ δὴ ἡ δυὰς ἢ ἀόριστος αἰτία οὐδὲ τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν τοῦ δύο λευκὰ ἢ πολλὰ εἶναι χρώματα* etc. In physicis (III. 4. 6.) Aristoteles *δύο ἄπειρα* Platonis esse simplici ratione commemorat neque quidquam de illa *ἀορίστῳ δυάδι*, cui haec tributa sint. Quae omnia ad propositam dyadis interpretationem confirmandam valent; et haec, si postea apparebit, magnum et parvum mutuo vinculo ita teneri, ut dyadis nomen aptissimum *sit*, eo magis constabit. Qui locus omnium primus *τὴν ἀορίστον δυάδα* Platoni assignare videtur, legitur apud Aristotelis discipulum celeberrimum, Theophrastum in metaphysicis p. 322. ex edit. Brand. *Πλάτων δὲ καὶ οἱ Πυθαγόρειοι μακρὰν τὴν ἀπόστασιν* [1]) *ἐπιμιμεῖσθαι*

1) Quid sit haec *μακρὰ ἀπόστασις*, quam Plato et Aristoteles res referre dixerint, intellectu difficile. Fortasse id ipsum

ve θέλειν ἅπαντα. καίτοι καθάπερ ἀντίθεσίν τινα ποιοῦσι τῆς ἀορίστου δυάδος καὶ τοῦ ἑνὸς etc. Sed ne hic quidem locus indefinitae dyadi Platoni vindicandae prodendi debet. Quanquam enim Platonis nomen laudatur, tamen, quoniam Pythagorei socii adjunguntur, ea, quae dicta sunt, minus proprie de ipso Platone dicta videntur. — At vero num plane nihili sunt eorum testimonia, qui in commentariis ad Aristotelem ipsius libros de bono s. de philosophia audant, ibique Aristotelem de Platonis indefinita dyade, quae sit magnum et parvum, disseruisse, ad mum omnes memoriae prodiderunt [1]). Quum nullus horum librorum deperditorum locus ita superstes it, ut de ipsa illa voce, in qua hic omnia posita unt, certi quid constare queat: in Platonis silentio t Aristotelis ab his dissensu accidisse illis viris credendum est, quemadmodum omnibus accidere solet, ui scholae cujusdam vel sui temporis statutam significandi rationem sequuntur, ut certa seriorum formula ad Platonis sententiam designandam accommodaretur. Quae si ita sunt, sublata est magna, quae idebatur, inter Aristotelis loca, quae de Platone gunt, et Platonis dialogos, qui nusquam quidquam le tali indefinita dyade proferunt, discrepantia.

---

est, quod Aristoteles in numerorum maxime doctrina paulo acrius exagitat, non omnia continuitate quadam ex uno principio pendere et cohaerere — id quod ἐπεισοδιώδεις dixit, ὥσπερ μοχθηρὰ τραγῳδία — quamquam in illo θέλειν, quoniam talia vix quidem voluerint imitari, jure offendas. Cf. Arist. met. XII. 10. *A.* p. 258. Brand. XIV. 3. *N.* p. 299. Brand. — Vid. et Brand. l. l. p. 56.

1) Cf. Simplic. ad phys. fol. 32. b. 104. Alexand. ad metaph. I. 6. etc. Cf. Brand. l. l. p. 23 sqq.

Igitur si Plato, Aristotele teste, duo infinita posuit, quaenam haec fuerint, quaerendum est. Aristoteles multis locis (ut metaphys. I. 6. *A.* p. 21. Brand.; phys. I. 4. III. 4. 6. IV. 2. etc.) τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν nominat. Ita et Simplicius sive nulla addita auctoritate (ad Aristotel. phys. fol. 54.), sive ex Aristotelis libro deperdito de bono s. philosophia. Cujus magni et parvi in metaphys. (I. 6. *A.* p. 21. Brand.) duplex potissimum vis et ratio indicatur, primum ut sint in ideis materia τῷ ἑνὶ quasi signanda, in quo Platonis θατέρῳ quodammodo respondet, sicut et Aristoteles ea dixit τὴν ἑτέραν φύσιν (i. e. τοῦ ἑνός), — deinde, ut, quum ipsorum etiam numeri sint participes, numeros ad idearum naturam extollant. Illud princeps videtur, ex quo hoc tanquam e capite manavit.

Si ideae unitate maxime continebantur, nec tamen sola, ne, differentia expulsa, in unum quasi punctum contraherentur et plane evanescerent: huic uni tanquam materiam definiendam infinitatem (τὸ ἄπειρον) esse subjectam, rationi congruum videbatur, ut ex utroque, ex unitate infinitatem ad legem quandam revocanti, ideae gignerentur. Hoc vero infinitum certis notis per se inane, sola unitatis oppositione distinctum Plato duplex esse reperit aut τὸ μέγα aut τὸ μικρόν.

Qua ratione hanc infinitatem duplicem et quidem τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν posuerit, apertissime docet physicorum locus III. 6. ἐπεὶ καὶ Πλάτων διὰ τοῦτο ἄπειρα δύο ἐποίησεν, ὅτι καὶ ἐπὶ τὴν αὔξησιν δοκεῖ ὑπερβάλλειν καὶ εἰς ἄπειρον ἰέναι, καὶ ἐπὶ τὴν καθαίρεσιν, i. e. hanc infinitatem aut augendo aut minuendo

gigni — utroque enim ad ultimum, quo quid cogitatione aut majus aut minus fingi nequeat, non perveniri. Alio loco phys. I. 4. Aristoteles τὸ μέγα καὶ μικρὸν dicit ὑπεροχὴν καὶ ἔλλειψιν, sicut et metaphys. I. 7. *A.* p. 33. Brand. Quod aliud quid significare facile videatur, quum ibi magno et parvo physicorum elementa densitas et raritas componantur [1]). Quod ne nobis fraudi sit, primum tenendum est, illud μέγα καὶ μικρὸν, quoniam idearum est, ab omni materia avocatum esse, dum rarum et densum, quae quidem a materia segregari nequeunt, sub magnum et parvum, certe sub numerum cadunt. Quare in hoc tantum similitudo quaerenda est. Deinde illa quidem ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις postulat, ut medium quoddam ponatur, quod vel superetur vel relinquatur. Ita et Aristoteli virtus ἡ μεσότης, unde utroque discedunt vitia sive ἐλλείψεις sive ὑπερβολαὶ (eth. ad Nicom. II. 7. sq.). Quibus ad magnum et parvum translatis, hoc certe Aristoteles sibi voluit, cogitan-

1) Ar. phys. I. 4. in. Ὡς δ' οἱ φυσικοὶ λέγουσι, δύο τρόποι εἰσίν, οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι, ἢ ἄλλο ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον, ἀέρος δὲ λεπτότερον, τἆλλα γεννῶσι, πυκνότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦντες. ταῦτα δ' ἐστὶν ἐναντία, καθόλου δ' ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις, ὥσπερ τὸ μέγα φησὶ Πλάτων καὶ τὸ μικρόν· πλὴν ὅτι ὁ μὲν ταῦτα ποιεῖ ὕλην· τὰ δὲ ἓν τὰ εἴδος· οἱ δὲ τὸ μὲν ἓν τὸ ὑποκείμενον ὕλην· τὰ δ' ἐναντία διαφορὰς καὶ εἴδη metaphys. I. 7. *A.* p. 33. Brand. ἔτι δὲ τὴν ὑποκειμένην οὐσίαν ὡς ὕλην, μαθηματικωτέραν ἄν τις ὑπολάβοι, καὶ μᾶλλον κατηγορεῖσθαι καὶ διαφορὰν εἶναι τῆς οὐσίας καὶ τῆς ὕλης ἢ ὕλην, οἷον τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν· ὥσπερ καὶ οἱ φυσιολόγοι φασὶ τὸ μανὸν καὶ τὸ πυκνὸν πρώτας τοῦ ὑποκειμένου φάσκοντες εἶναι διαφοράς· ταῦτα γάρ ἐστιν ὑπεροχή τις καὶ ἔλλειψις.

dum esse quoddam medium, e quo pendeat et magni et parvi mensura, unde ipsa quasi diversa abeant, ut, quod medium superet, magnum sit, quod medium non assequatur, parvum. Quo factum est, ut alii τὸ μέγα καὶ μικρόν in hanc notionem magis communem τὸ ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον mutarent. cf. metaph. XIV. 1. *N.* p. 290. Brand. Haec est mutua illa et intima magni et parvi conjunctio, quam dyadis voce significatam ostendimus. Jam vero, quum Plato magnum et parvum infinita statueret, ex hoc ipso consequitur, illud medium, a quo magnum et parvum deducantur, ubivis statui posse; id quod ea ab Aristotelis accusatione eximere videtur, qui magnum et parvum nihil esse nisi quod ad *aliud* referatur (πρός τι) dixit. cf. Aristot. metaph. XIV. 1. *N.* p. 292. Brand. Si enim illud, quo quid refertur, nihil est certum et fixum, sed pro ejus, quod refertur, natura mutabile et arbitrarium, hoc ipsum, quo refertur, magis relatum videtur, quam quod refertur, praesertim quum infinitatem ad finitum relatam vix dixeris infinitatem.

Sed jam pugna nos manet. Nostrae enim magni et parvi, ἐλλείψεως et ὑπεροχῆς explicationi repugnant ea, quae ab Alexandro et Porphyrio ad Simplicium, ab hoc ad recentiores transiisse videntur, cf. Brand. l. l. p. 28. Quorum opinio cum dyade conjuncta est. Hi enim dyada illam indefinitam Platoni tribuentes magnum et parvum ex hac eruerunt, i. e. e propria binarii numeri natura [1]). Hac enim tanquam primo

1) Alexander Aphrodis. ad metaph. I. 6, Sepulved. vers. 10. b. n. 43.—vel, ut edidit Brandis. l. l. p. 31. 32. ἔτι πρῶτος μὲν

numero, numerorum principia unum et quod praeter unum est, multum et paucum contineri; dyada dimidium et duplex complectentem majus et minus, superans et superatum complecti. Dyada, quatenus contraria illa principia in se habeat, indefinitam, unitate accedente, dyada fieri in numeris finitam. Universa haec dyadis indefinitae expositio parum dilucida; modo enim in ea propriam dyadis naturam (τὸ διπλάσιον· τὸ ἥμισυ) apprehendunt, ut magnum et parvum ex ea explicent; modo nihil nisi cogitatam quandam numerorum quasi materiae speciem, ex qua unitate numeri certi signentur, relinquere videntur. In qua et nominis dyadis et magni et parvi minus justa est interpretatio. Quodsi dyadis duplex et dimidium ad magnum et parvum depromendum advocatur, quaeras, cur necesse sit, magnum et parvum rationem inter se inire geometricam parem. Quaenam esset tandem magni et parvi cum physicorum densitate et raritate comparatio, si hac ratione magnum et parvum dyade includeretur? Angustiorem omnino hanc esse magni et parvi rationem clarius etiam perspicietur, si mox, ut spero, magnum et parvum Platoni non solis numeris contineri patebit. Omnis error inde manasse videtur, quod, quoniam interpretibus Pythagoreorum decreta obversabantur (cf. arithm. theolog. p. 10. 11.), dyada

---

ἀριθμὸς ἡ δυάς· ταύτης δὲ ἀρχαὶ τό τε ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον, ἐπεὶ ἐν μὲν τῇ δυάδι πρώτῃ τὸ διπλάσιον καὶ τὸ ἥμισυ, ὑπερέχον καὶ ὑπερεχόμενον etc. Alexandrum Aphrodisiensem sequuntur Porphyrius et Simplicius cf. Simpl. ad phys. fol. 104. b.

numerum, nec solummodo necessariam duorum conjunctionem intellexerunt; neque enim, quamquam librum de bono afferunt testem, dicere audent, ita Platoni visum fuisse, sed, quae explicant, paululum dubitanter ut sua proponunt [1]).

Magnum et parvum ad numeros pertinere, non multis opus est documentis. Vidimus enim ea, quum et ideis et numeris subjecta sint, ad ideas numeros transferre. Ex iis omnino, unitate accedente et materiam quasi comprehendente, numeri geniti esse videntur. Ita metaphys. I. 6. *A.* p. 21. Brand. *τὸ δὲ δυάδα ποιῆσαι τὴν ἑτέραν φύσιν διὰ τὸ τοὺς ἀριθμοὺς ἔξω τῶν πρώτων εὐφυῶς ἐξ αὐτῆς γεννᾶσθαι, ὥςπερ ἔκ τινος ἐκμαγείου.*

Ita numeri (cf. phys. III. 6. cujus loci difficultates infra pertractandae) quovis dato vel majores vel minores cogitari possunt, quamquam unitas infinitum comprehendens unumquemque ad certam magnitudinem revocet. Quaeritur autem, num Plato, quemadmodum ex Aristotele statui solet, magnum et parvum ad solos numeros retulerit. Ita quidem et Brandisio visum est (l. l. p. 33. sq.). Mihi vero ea non minus ad spatium pertinere cum pluribus Aristotelis locis, tum intima utriusque notionis, numeri et spatii, conjunctione persuasum est. Primum nomen

---

1) Simplic. ad phys. f. 104. b, *ταῦτα ὁ Πορφύριος εἶπεν αὐτῇ σχεδὸν τῇ λέξει διαρθροῦν ἐπαγγειλάμενος τὰ ἐν τῇ περὶ τἀγαθοῦ συνουσίᾳ αἰνιγματωδῶς ῥηθέντα.* Alex. Aphrod. ad met. I. 6. cf. Brand. l. l. p. 32. *καὶ διὰ τοιαῦτα μέν τινα ὡρᾶς —— —— ἐτίθετο Πλάτων τό τε ἓν καὶ τὴν δυάδα.*

τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν et numeris et spatio commune est. Cur tandem Plato, si solos spectasset numeros, non potius vocem elegisset minus communem et numeris propriam, qualis est vox τὸ πολὺ καὶ τὸ ὀλίγον? His vero aequiparari τὸ μέγα καὶ μικρὸν et de vocabulis tantum eos disceptasse, qui sive multum et paucum sive similia substituerunt, id quod censuit Brandisius p. 36., colligi non licet e loco Aristotelis hoc consilio allato metaph. XIV. 1. N. p. 290. Brand. ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς ἀρχὰς ἃς στοιχεῖα καλοῦσιν, οὐ καλῶς ἀποδιδόασιν, οἱ μὲν τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν λέγοντες μετὰ τοῦ ἑνὸς τριὰ ταῦτα στοιχεῖα τῶν ἀριθμῶν, τὰ μὲν δύο ὕλην, τὸ δὲ ἓν τὴν μορφήν, οἱ δὲ τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, ὅτι τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν μεγέθους οἰκειότερα τὴν φύσιν, οἱ δὲ τὸ καθόλου μᾶλλον ἐπὶ τούτων τὸ ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον. Quo loco quum de numerorum natura agatur, quod nobis jam constat, confirmatur, τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν ad numeros quoque pertinere; sed cavendum, ne iis, quae tanquam eadem adjecta sunt (sunt autem eatenus tantum eadem, quatenus τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν numerorum principium), omnis magni et parvi ratio et conditio exhausta existimetur. Aliis alia esse numerorum principia ostenditur. Sed Platoni suum est relinquendum illibatum, propterea quod, quae alteri, numeros et spatium, segregarunt, (rejecerunt enim magnum et parvum, quod haec magis in spatium caderent) Plato communi vinculo complexus erat, tum quod alteri, abolita e principio ea parte, quae ut infinitum ad nihil extra se refertur et suam in se habet stabilitatem, magnum et parvum in superans magis et superatum deflexerunt, ita ut notio et generalior existeret et tanquam relata certius

quasi exculperetur [1]). — Quodsi his id consecuti sumus, ut in magno et parvo spatium certe nobis non clausum teneatur: alia loca rem accuratius definiunt. Ita quidem phys. IV. 2. *Πλάτωνι μέντοι λεκτέον, εἰ δεῖ παρεκβάντας εἰπεῖν, διὰ τί οὐκ ἐν τόπῳ τὰ εἴδη καὶ οἱ ἀριθμοί, εἴπερ τὸ μεθεκτικὸν ὁ τόπος, εἴτε τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ ὄντος τοῦ μεθεκτικοῦ, εἴτε τῆς ὕλης, καθάπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραφεν*, et paulo antea eodem capite: *διὸ καὶ ὃ Πλάτων τὴν ὕλην καὶ τὴν χώραν τὸ αὐτό φησιν εἶναι ἐν τῷ Τιμαίῳ· τὸ γὰρ μεταληπτικὸν καὶ τὴν χώραν ἓν καὶ ταὐτόν· ἄλλον δὲ τρόπον ἐκεῖ τε λέγων τὸ μεταληπτικὸν καὶ ἐν τοῖς λεγομένοις ἀγράφοις δόγμασιν, ὅμως τὸν τόπον καὶ τὴν χώραν τὸ αὐτὸ ἀπεφήνατο·* cf. Simplic. ad h. l. f. 125. b. 101. b. Ex quibus apparet, *τὸ μεθεκτικόν, τὸ μεταληπτικόν*, id, quod ideas suscipit, in scholis dictum esse magnum et parvum, deinde *τὸ μεταληπτικόν* idem esse atque spatium (*χώραν*). Unde magnum et parvum ad spatium (*χώραν*) quoque pertinere, necessario sequitur. Quod si accipias, nec discrimen illud, quod Aristoteles inter scholas non scriptas et Timaeum intercedere commemorat, tantum est, quantum consensum refugiat. Si materia, sicut est in Timaeo, idearum particeps est, materia vero in spatium cadit: consentaneum est, *τὸ*

1) Si Alexander Aphrodisiensis Platoni vocabula illa *τὸ μέγα καὶ μικρὸν, τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, τὸ ὑπερέχον καὶ ὑπερεχόμενον* promiscue et communiter tribuit; id sane, quum Aristoteles in Platonis sententiis recensendis *τὸ μέγα καὶ μικρὸν* constanter tueatur, minus ex occluso quodam nobis aut Platonis aut Aristotelis fonte manasse credendum est, quam ex indefinitae dyadis errore, quo, an diversa illa vocabula inter se distineret, nihil pensi habebat.

μέγα καὶ μικρόν, si hoc spatium quoque complectitur, etiam dici *τὸ μεθεκτικόν*, ut fere intermedium sit, quo ideae ad res traducantur iisque quasi impertiantur. Qui concentus eo est major, quum Plato, sicut in universo Timaeo, ita eo ipso loco, quem Aristoteles significare videtur (Plato Timaeus p. 51. a Steph.), materiam intelligibiles formas suscipientem a sensibus avocet et ad infinitam spatii speciem transferat [1]).

Similis locus est phys. III. 4. *οἱ μὲν, ὥςπερ οἱ Πυθαγορείοι καὶ Πλάτων καθ' αὑτὰ, οὐχ ὡς συμβεβηκός τινι ἑτέρῳ, ἀλλ' ὡς οὐσίαν αὐτὰ ὄν τὸ ἄπειρον· πλὴν οἱ μὲν Πυθαγόρειοι ἐν τοῖς αἰσθητοῖς· οὐ γὰρ χωριστὸν ποιοῦσι τὸν ἀριθμόν· καὶ εἶναι δὲ τὰ ἔξω τοῦ οὐρανοῦ ἄπειρον· Πλάτων δὲ, ἔξω μὲν οὐδὲν εἶναι σῶμα, οὐδὲ τὰς ἰδέας, διὰ τὸ μηδέ που εἶναι αὐτάς· τὸ μέντοι ἄπειρον καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς καὶ ἐν ἐκείναις εἶναι. — — Πλάτων δὲ δύο τὰ ἄπειρα, τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν.* — Quaeritur, quid sit illud, infinitum et in rebus sensus ferientibus et in ideis esse. Simplicius fol. 104. b. in eo acquievit, quod magnum et parvum idearum et numerorum ideoque omnium rerum principia esse dicuntur. Sed si magnum et parvum eatenus tantum rerum esset sensibus expositarum, quatenus idearum est, ex quibus pendent: solummodo *κατὰ συμβεβηκὸς* in res caderet, id quod a loci nostri sententia alienum videtur. Quare sicut in ideis, ita etiam in rebus esse censendum est. Quemadmodum magnum et parvum ideis tanquam materia de-

1) Cf. de Platonis materia Boeckh über die Bildung der Weltseele in Daubii et Creuzeri studiis III. 1. p. 26. sq. p. 31. Ast Platon's Leben und Schriften p. 362.

finienda subjectum esse traditur, ita rebus etiam consentaneum est, modo magnum et parvum spatium quoque complecti ponas. Quod si est, infinitum in rebus esse eo majori jure dicitur, quum unaquaeque res, quamquam definita, eam tamen continet infinitatem, quod in infinitum dividi posse cogites. In quo quanto partes minores, tanto plures, ut ita non solum τὸ μικρὸν, sed etiam τὸ μέγα ipsis rebus servatum sit. Hanc ipsam vero rationem vere Platonicam esse haud obscure innuit Aristoteles phys. III. 6. ἀλλ' εἰ μὴ οἷόν τε εἶναι ἄπειρον ἐντελεχείᾳ σῶμα αἰσθητὸν οὕτω, φανερὸν ὅτι οὐδὲ δυνάμει ἂν εἴη κατὰ πρόσθεσιν, ἀλλ' ἢ ὥςπερ εἴρηται ἀντεστραμμένως τῇ διαιρέσει· ἐπεὶ καὶ Πλάτων διὰ τοῦτο ἄπειρα δύο ἐποίησεν, ὅτι καὶ ἐπὶ αὔξησιν δοκεῖ ὑπερβάλλειν καὶ εἰς ἄπειρον ἰέναι καὶ ἐπὶ τὴν καθαίρεσιν. Quid in hac re ἀντεστραμμένως dicat, ex antecedentibus patet. Nihil est, quam infinite dividendo simul infinite augeri; qua enim ratione dividatur, ea addi finito [1]).

Loco, quem tractavimus, cognatus est phys. III. 6. ubi, postquam contra Parmenidem, qui infinitum omnia complectens et circumdans eoque totius simile dixerat, disputavit, ad Platonis magnum et parvum defertur. ἐπεὶ εἴγε περιέχει ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, καὶ ἐν τοῖς νοητοῖς τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν ἔδει περιέχειν τὰ νοητά· ἄτοπον δὲ καὶ ἀδύνατον, τὸ ἄγνωστον καὶ τὸ ἀόριστον περιέχειν καὶ ὁρίζειν. Sicut ex his, ita ex iis,

1) τὸ δὲ κατὰ πρόσθεσιν, τὸ αὐτὸ πῶς ἐστι καὶ τὸ κατὰ διαίρεσιν. ἐν γὰρ τῷ πεπερασμένῳ κατὰ πρόσθεσιν γίνεται ἀντεστραμμένως· ἢ γὰρ διαιρούμενον ὁρᾶται εἰς ἄπειρον, ταύτῃ προστιθέμενον φανεῖται πρὸς τὸ ὡρισμένον.

quae Simplicius libros de bono laudans affert (fol. 117. a.), Platonem magnum et parvum posuisse patet circumdare res sensibus subjectas, nec vero ideas intellectu percipiendas. Hoc demum posterius Aristoteles consequens fuisse concludit (ἔδει περιέχειν τὰ νοητά) nec vere affirmatum esse tradit. Quod si ita se habet, egregie iis, quae ostendimus, consentit. Magnum enim et parvum, quatenus ad spatium referuntur, res circumdat; spatium vero a νοήσει alienum. Quare, ut sententia ita sibi constaret, comma scribendum esse putavi post verba ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, nec post sequentia ἐν τοῖς νοητοῖς, ut in editionibus. Si καὶ ἐν τοῖς νοητοῖς ad protasin trahitur, tum apodosis mera est repetitio, tum vix ac ne vix quidem intelligitur, quomodo omnino de circumdando ἐν τοῖς νοητοῖς dictum esse potuerit. Sed etiamsi distinguendi signum transponendum esse neges, tamen non negabis, id, quod posuimus, magnum et parvum ad spatium quoque pertinere, e loco necessario consequi.

Alia ratione idem probatur metaphysic. I. 7. *A.* p. 32. Brand. Βουλόμενοι δὲ τὰς οὐσίας ἀνάγειν εἰς τὰς ἀρχὰς μήκη μὲν τίθεμεν ἐκ μακροῦ καὶ βραχέος, ἔκ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου, καὶ ἐπίπεδον ἐκ πλατέος καὶ στενοῦ, σῶμα δ' ἐκ βαθέος καὶ ταπεινοῦ. Quo loco etsi illud τίθεμεν a Brandisio ex Alexandro Aphrodisiensi repositum est, tamen nihil aliud valere potest, quam quod reliquas editiones occupat τίθενται. Ac ne quis suam hic Aristotelem sententiam proponere credat, jam Alexander prudenter cavit adjiciens (e Sepulved. vers. fol. 20. a. n. 76.): „ponimus, dixit, ut constet oratio supra dictis. Nam de idearum opinione velut de propria disserit.“ Quod his locis Platonis nomen

non additum est, id quidem, quum τὸ μέγα καὶ μικρὸν Platoni proprium ad alium transferri nullum sit jus, parum habet ponderis. Plato igitur ad longitudinem, unde existeret, explicandam magnum et parvum adhibuit. Idque latius etiam patuisse, indicat simul illud ἐκ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου, sub quod longum et breve tanquam aliqua pars cadat.

Ita in plures species magnum et parvum se quasi effudisse, alius locus documento est, metaph. XIII. 9. *M.* p. 283. Br. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ὕστερον γενῶν τοῦ ἀριθμοῦ συμβαίνει τὰ δυσχερῆ γραμμῆς τε καὶ ἐπιπέδου καὶ σώματος· οἱ μὲν γὰρ ἐκ τῶν εἰδῶν τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ ποιοῦσιν, οἷον ἐκ μακροῦ μὲν καὶ βραχέος τὰ μήκη, πλατέος δὲ καὶ στενοῦ τὰ ἐπίπεδα, ἐκ βαθέος δὲ καὶ ταπεινοῦ τοὺς ὄγκους· ταῦτα δέ ἐστιν εἴδη τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ. Quod certe, etiamsi, quum Platonis nomen omissum sit, ab eo pertinaciter velis amoliri, probat, magnum et parvum ita a Platone esse proposita, ut discipuli ea ad omnes, quas dicimus, spatii dimensiones gignendas facile convertere potuerint.

Alium locum similem tanquam cumulum addam: metaph. XIV. 1. N. p. 291. Brand. Οἱ δὲ τὸ ἄνισον ὡς ἕν τι, τὴν δυάδα δὲ ἀόριστον ποιοῦντες μεγάλου καὶ μικροῦ [1]), πόῤῥω λίαν τῶν δοκούντων καὶ δυνατῶν λέγουσι·

1) Ita quidem legitur. Si qui locum interpretentur, quasi fuisse dicantur, qui inaequale unum, dyada vero fecerint infinitam, quemadmodum oppositionis (δέ) natura postulare videtur: ii quidem ex horum philosophorum numero Platonem eximant necesse est; sed tum a convenienti explicatione illius ὡς ἕν τι (quod non est τὸ ἕν) tum a loci proxime praecedentis consensu aberrant. Est hic

πάθη τε γὰρ ταῦτα καὶ συμβεβηκότα μᾶλλον ἢ ὑποκείμενα τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τοῖς μεγέθεσίν ἐστι, τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον τοῦ ἀριθμοῦ, καὶ μέγα καὶ μικρὸν μεγέθους. Quibus verbis, quum τὸ ἄνισον aliis locis Platoni non tribuatur, Aristoteles fortasse minus proprie respexit, quid et quomodo Plato tradiderit, quam communi quadam ratione quod ejus discipuli statuerint, qui quidem praeceptoris numerorum quasi semina cupidius foverunt. Quod etiamsi sit, affert tamen aliquid fidei, Platoni quoque magnum et parvum latius patuisse.

Denique hunc numeri et continui principia inter se consociata statuisse, eo quoque stabilitur, quod haec demum segregasse Speusippus discipulus ab Aristotele traditur. metaph. VII. 2. Z. p. 129. Brand.

---

p. 290. Brand., quem ab hoc sejungi universa loci series non patitur: οἱ δὲ τὸ ἕτερον τῶν ἐναντίων ὕλην ποιοῦσιν, οἱ μὲν τῷ ἐνὶ τῷ ἴσῳ τὸ ἄνισον, ὡς τοῦτο τὴν τοῦ πλήθους οὖσαν φύσιν, οἱ δὲ τῷ ἑνὶ τὸ πλῆθος — quae sententiarum genera iis, quae sequuntur, percensentur, ut hoc loco τὸ ἄνισον τὸ ἓν vocari nequeat. Quae tandem philosophorum familia adeo rationes pervertisset, ut unum, quod semper sibi aequabile constare veteres celebrarunt, inaequale nominarent. Si Pythagoreos cogites, qui unum simul numerum parem et imparem constituerint, admodum vereor, ut ἀριθμὸς ἄνισος sit numerus impar atque ut sequentia Pythagoreos tangant. Latius patere ἀριθμὸν ἄνισον facile colligas e Nicomach. introd. arithm. I. ιζ' p. 92. Ast. Quibus causis adductus non dubitavi de emendandi aliqua via mecum cogitare. Omnium mihi visum est facillimum, illam opponendi particulam δὲ delere, ut sit οἱ δὲ τὸ ἄνισον ὡς ἕν τι τὴν δυάδα ἀόριστον ποιοῦντες, i. e. qui inaequale ut unum in se quoddam dyada infinitam fecerunt, — id quod egregie consentiet tum verae potestati illius ἕν τι, tum iis, quae de dyade duo inter se conjuncta continenti diximus. Fortasse illa vocula δὲ ex ultima syllaba vocis δυάδα duplicandi quodam errore nata.

Σπεύσιππος δὲ καὶ πλείους οὐσίας (i. e. plures quam Plato, de quo dictum erat) ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἀρξάμενος, καὶ ἀρχὰς ἑκάστης οὐσίας ἄλλην μὲν ἀριθμῶν, ἄλλην δὲ μεγεθῶν, ἔπειτα ψυχῆς· καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἐπεκτείνει τὰς οὐσίας. Quibus omnibus mente collectis, magnum et parvum a Platone et ad numeros et ad spatium relata esse constat.

Sed ita magnum et parvum ad utrumque pertinere non sufficit demonstrasse. Ita enim alterum juxta alterum positum, unum alteri adjectum, tanquam res rei. Unde quaestio affertur, quid tandem fuerit internum, quo utrumque contineretur, vinculum. Neque in eo acquiescendum est, quod utrumque et discretum (numerus) et continuum (spatium) quanti genere comprehenditur. Nec quidquam Platoni mutuo dandum, quasi discretum non sine continuitate, continuum non sine discretione esse posse sentiens propterea utrumque magno et parvo copulaverit. Investigandum videtur, quae Platoni fuerit communis harum notionum quasi mater, in qua eaedam, ex qua diversae. De qua quidem re neque apud Platonem (dialogi enim de his omnibus silent) neque apud Aristotelem (tractat enim haec praetereundo magis) certum indicem inveni. Quare res est magis conjecturae, quam historicae fidei. Sed et haec via tentanda, si forte ad verum vel certe probabile ferat.

Ut Aristoteles haud raro, auctoribus omissis, philosophica decreta examinat et dijudicat: ita et metaph. XIII. 8. *M.* p. 282. Brand., ubi, nisi omnia fallunt signa, Platonis vel Platonicorum placita respiciens addit: αἴτιον δὲ τῆς συμβαινούσης ἁμαρτίας ὅτι ἅμα ἐκ τῶν μαθημάτων ἐθήρευον καὶ ἐκ τῶν λόγων τῶν

καθόλου, ὥστ' ἐξ ἐκείνων μὲν ὡς στιγμὴν. τὸ ἕν καὶ τὴν ἀρχὴν ἔθηκαν· ἡ γὰρ μονὰς στιγμὴ ἄθετός ἐστιν. i. e. punctum enim monas est certo loco destituta [1]). In quo loco, etiamsi tantum, ut Aristotelis voce utar, κατὰ συμβεβηκὸς Platoni vindicari potest (proprie enim ad Platonicos pertinere videtur), aliquam numeri et spatii cognationem deprehendisse mihi videor, ut Plato hinc fortasse profectus magno et parvo tum numerum tum spatium tanquam partes submitteret. Similia quidem (στιγμὴ καὶ μονὰς ἡ μὲν ἄθετος μονάς, ἡ δὲ θετὸς στιγμή) ab Aristotele proponuntur metaph. V. 6. Δ. p. 97. Brand., ubi de notionibus agens sua profert neque aliena impugnat, ut, an illo loco ratio sit Platoni genuina et propria, facile dubites. Sed talia utrique philosopho communia esse nihil vetat, praesertim quum ex mathematicis disciplinis ducta indicentur. Certa denique sunt indicia, cur prior locus, quo nitimur, ad Platonicos sit trahendus. Universa enim expositio tanquam ab argumentationis conditione ab his verbis incipit: ἔτι εἰ ἐστι χωριστὸς ὁ ἀριθμὸς (p. 281. Brand.), id quod de ipso saepe Platone commemoratur. Deinde illa εἰ γε ὁ ἀριθμὸς ἕν τι καὶ μὴ ὡς σῶρος, ἀλλ' ἕτερος ἐξ ἑτέρων μονάδων, ὥσπερ φασίν, quae in Platonis numerorum doctrinam cadere infra ostendetur.

---

1) Ita et verba explicanda videntur, unde theologumena arithmeticae initium capiunt *Μονάς ἐστιν ἀρχὴ ἀριθμοῦ, θέσιν μὴ ἔχουσα*, quae Aristotelis metaph. loco XIII. 8. *M.* p. 282. Brand. et V. 6. Δ. p. 97. ita respondent, ut a recentissimo editore, qui, utrum ἀρχὴν ἀνυπόθετον an σύνθεσιν μὴ ἔχουσαν interpretetur, animo fluctuat, omnino mihi sit dissentiendum.

Nec tamen in his alius locus negligendus est, qui, ne nobis viam obstruere videatur, ad suum ordinem revocandus. Legitur metaphys. I. 7. *A.* p. 32. Brand., ubi spatii dimensionum deducendarum mentio incidit: *ἔτι αἱ στιγμαὶ ἐκ τίνος ἐνυπάρξουσι; τούτῳ μὲν οὖν τῷ γένει καὶ διεμάχετο Πλάτων ὡς ὄντι γεωμετρικῷ δόγματι, ἀλλ' ἐκάλει ἀρχὴν γραμμῆς.* Quam sententiam tum in dialogis non invenimus, tum a Platone proferri solitam esse, ipsius imperfecti natura (*διεμάχετο, ἐκάλει*) significat, ut in scholis propositam esse credendum sit. Si quis argumentetur, omni punctorum generi Platonem repugnasse utpote a geometris posito, unde nobis non licere, puncta monadibus aequare et utraque communem et numeri et spatii fontem aperire: vereor, ne haec ex una tantum loci parte arrepta non constanter sequantur. Additum enim est, vocasse potius lineae principium. Generi itaque punctorum per se seorsim posito Plato adversatus esse videtur, sed ipsorum vim in lineis procreandis intactam reliquit. Sicut fuerunt, qui primum numerum non monada, sed dyada vocarent, quamquam monada et hujus principium agnoscerent [1]), ita punctum e continuis quantis potest excipi, dum ipsa ejus vis tanquam ceterorum principium servatur. Ita et haec consentiunt, ut, e monade et puncto, quatenus se inter se contingunt, tanquam e communi capite magnum et parvum manare videantur idque

1) Cf. Simpl. ad phys. fol. 104. b. Alexander in metaph. I. 6. Sepulved. vers. fol. 10. b. u. 43. Brandis libr. l. p. 30. ubi hoc de ipso Platone dicitur.

diversas in partes, ut et numerum et spatium complectantur.

Haec quum ita inter se conciliata sint et se invicem inter se confirment, jam videndum est, quid Aristoteles e Platonis magno et parvo consequens esse dicat. Princeps quidem illud est, quod ex iis numeri ideae fiant. Ita Aristot. metaph. I. 6. *A.* p. 21. Brand. *ἐξ ἐκείνων γὰρ κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνὸς τὰ εἴδη εἶναι τοὺς ἀριθμούς.* Quocum arcte conjunctum videtur, quod sequitur *τὸ τοὺς ἀριθμοὺς αἰτίους εἶναι τοῖς ἄλλοις τῆς οὐσίας.* Haec numerorum et idearum cognatio, quantum quidem ex una eademque materia nascuntur, a Platone statuta nullo fortasse loco tam aperte est declarata. Quare fuerunt [1]), qui et hoc loco et universo Platonicarum sententiarum nexu ommisso numeros ab ideis sejunctos tenerent. In quem usum unum maxime ipsius Aristotelis locum convertebant, memorabilem illum quidem et accuratius perpendendum, ne nos repugnantiae, si sint, fugiant neque nobis, si non sunt, nectantur. Est hic locus metaph. XIII. 4. *M.* p. 265. Brand. *Περὶ δὲ τῶν ἰδεῶν πρῶτον αὐτὴν τὴν κατὰ τὴν ἰδέαν δόξαν ἐπισκεπτέον, μηθὲν συνάπτοντας πρὸς τὴν τῶν ἀριθμῶν φύσιν, ἀλλ' ὡς ὑπέλαβον ἐξ ἀρχῆς οἱ πρῶτοι τὰς ἰδέας φήσαντες εἶναι.* Quo loco ante Brandisium *μηθὲν συνάπτουσαν* legebatur, ut clarius quidem, nihil esse commercii inter ideas et numeros, pronuntiari videretur. Sed ne hoc quidem satis subtile. Illud *συνάπτειν*, ut saepius, intransitive dictum, semet ipsum connectere, se adjungere, i. e. sequi, ita, ut in acce-

1) Tennemann System der platonischen Philosophie.

dendi, appropinquandi significationem abeat. Sic Aristoteles metaph. VIII. 1. *H.* p. 165. Brand. τῷ δὲ καθόλου καὶ τῷ γένει καὶ αἱ ἰδέαι συνάπτουσι i. e. iis, quae communiter dicuntur, et generi ideae se adjungunt iisque quasi nituntur. Ita et nostro loco, si συνάπτουσαν legitur, opinio de ideis intelligenda est, non se ad numeros adjungens, non iis nitens. Sed, quod repositum est, συνάπτοντας praestare videtur. In illo enim nulla orationis concinnitas. Quis enim hic progressus: „Consideranda est de ideis sententia non numerorum naturam contingens, sed ut ab initio auctores ceperunt.“ Quae sibi non respondent. Omnia vero inter se quasi conspirant, si, altera lectione recepta, ita constituas locum: „Consideranda nobis est idearum sententia, ita tamen, ut nos ad numerorum naturam non adjungamus, sed eum ordinem sequamur, quem idearum auctores.“ Etiamsi συνάπτοντας legens dubites, utrum intransitive dictum accipi an τὸν λόγον vel tale quid mente suppleri praestet: tamen, quidquid est, satis liquet, nihil aliud esse, nisi disputandi initium capere, sententiae fundamentum jacere. Hoc itaque solum cavetur, ne quis Platonem a numeris ad ideas delatum putet; Plato contra, ut saepius (metaph. I. 6. *A.* p. 20. *Br.*) dialectica via ad ideas pervenisse significatur. Platonis vero discipulos in ideis statuendis ab hac dialectica via ad numerorum considerationem descivisse, e loco quodammodo colligas. Quae quum ita sint, tantum abest, ut haec repugnent, ut ordinem, quem secuti sumus, confirment.

Alius locus, qui ad numeros ab ideis amoliendos adhiberi possit, legitur eth. ad Nicom. I. 4. — οἱ δὲ

κομίσαντες τὴν δόξαν ταύτην οὐκ ἐποίουν ἰδέας, ἐν οἷς τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον ἔλεγον· διόπερ οὐδὲ τῶν ἀριθμῶν ἰδέαν κατεσκεύασαν. Quae per se obscura et difficilia, collato vero alio loco (metaph. XIII. 6. *M.* p. 271.) longe difficiliora, infra, ubi de numeris agetur, accuratius tractanda erunt. Hoc vero potissimum, ut praeripiam, sibi velle videntur, prius et posterius, quorum alterum alterius est conditio, in ideas non esse admissa; unde nec numerorum vulgarium, quorum alii ex aliis gignuntur ideoque alii aliis sunt priores vel posteriores, unam quandam ideam factam esse. Quae si est sententia, singulorum numerorum, in quibus non est prius et posterius, ideas esse posse, non excluditur.

Quibus remotis impedimentis, e magno et parvo ideas numeros fieri constat. Jam vero in hac ipsa sententia, ne eam neque latiorem pandamus neque angustiorem contrahamus, nova existit quaestio, an locus „ἐξ ἐκείνων γὰρ κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνὸς τὰ εἴδη εἶναι τοὺς ἀριθμούς“ valeat, omnes ideas factas esse numeros, ut ideae nihil aliud sint, nisi meri numeri, an potius, numeros factas esse ideas, ita ut et ideae esse possint, quae non sint numeri. Quod si quis simplicem et solum illorum verborum sensum sequitur, jam, ut priorem rationem amplectatur, animus inclinabit. Sed si quam idearum notionem e Platonis dialogis conceptam animo attulerit, e verbis, quibus aliqua quidem est ambiguitas, posteriorem rationem eruere conabitur. — Quum ideae ipsa unitate contineri dictae sint, jejunum facile videtur, quod ideis adjectum erat, τὰ κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνός. Recte omnino illud τὰ (κατὰ μέθεξιν),

quod ad ideas relatum difficultates creat, a Brandisio deletum, ut jam ad numeros pertineat κατὰ μέθεξιν etc. Si et alterum τὰ ante εἴδη tolli res pateretur, ut numeri quidem ideae ponerentur, sed non cunctae et universae ideae numeri: locus Phaedoni p. 101. b. Steph. conferri posset. Sed tutius erit, priusquam aliquid statuatur, cetera Aristotelis de Platonis numeris testimonia componere.

Antea vero alia dubitatione, quae ex his facile funditur, defungendum est. Interrogari enim potest, unde tandem fiat, ut, dum e magno et parvo numeri ideae esse possint, spatii magnitudines, ad quas juxta atque ad numeros magnum et parvum pertinere declaravimus, plane infra ideas relinquantur. Erunt fortasse, qui jam propter hunc, qui videatur, dissensum magnum et parvum ad solos numeros coacta velint. Cui rei viris equisque, ut ajunt, quae exposuimus, repugnant. Neque est quidem haec, quam movimus, vera discrepantia. Redeamus enim ad locum illum, quo Aristoteles, quid discriminis Plato inter ideas et mathematica statuerit, (metaphys. I. 6. *A.* p. 20. Br.) presse definit. ἔτι δὲ παρὰ τὰ αἰσθητὰ καὶ τὰ εἴδη τὰ μαθηματικὰ τῶν πραγμάτων εἶναί φησι μεταξύ, διαφέροντα τῶν μὲν αἰσθητῶν τῷ ἀΐδια καὶ ἀκίνητα εἶναι, τῶν δ' εἰδῶν τῷ τὰ μὲν πολλ' ἄττα ὅμοια εἶναι, τὸ δὲ εἶδος ἓν ἕκαστον μόνον. Ad haec, nisi fallor, cur singuli quidem numeri, nec vero spatii definitiones in idearum ordinem referantur, revocari potest. Si enim numerus per se spectatur a rebus, in quibus deprehenditur, sejunctus, necessario fit, ut, quotiescunque eundem cogites numerum, unus sit et idem neque eundem numerum extra se ipsum

et multiplicem cogitare possis. Ab hac itaque parte numerus merus et a rerum multitudine seclusus, quoniam in multa eaque paria et similia abire non potest, κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνὸς ad ideas accedere judicandus. Quam quidem rationem spatii quanta non patiuntur. In his enim, quae est spatii conditio, etiamsi ea a rebus avocaveris et una eademque animo conceperis, fieri potest, ut, quae finxeris, omnibus notis sese inter se aequent et tamen plura sint judicanda, utpote spatio diversa, loco dissita. Unde sequitur, spatii quanta, etsi aeterna et eadem, tamen multiplicia esse. Quae causa videtur, cur ab ideis remota in solum mathematicorum numerum sint rejecta.

Itaque si Plato numeros inter ideas retulit, eum hoc certis quibusdam cancellis circumscripsisse oportet. Constat enim (Pl. republ. V. p. 525. sq.), alioquin numeros non ipsam veritatem, non ipsas ideas statuisse, sed animi ad veritatem duces eosque a φρονήσει paululum alienos suae mentis facultati, τῇ διανοίᾳ, vindicasse. Quae et iis, quae Aristoteles de Platonis mathematicis inter res et ideas mediis commemoravit, conveniunt. Quaeritur itaque, de quo tacent dialogi, quid omnino sibi velint hi idearum numeri, quomodo a numeris mathematicis differant, quibus causis ab his segregati.

Numerum tum inter ideas tum inter mathematica relatum esse, ex iis, quae allata sunt, satis superque intelligitur. Quibus consentaneum est discrimen, quod Aristoteles inter ἀριθμὸν εἰδητικὸν (numerus dealis dicatur, ut receptum est) et ἀριθμὸν μαθημα-

τικὸν positum pluribus locis tradit, praesertim quum justae sint notae, quae haec ad Platonem vel ad ejus discipulos trahi jubeant. Locum praeponamus in hac re omnium fere uberrimum (metaph. XIV. 3. N. p. 299. Br.), quem, etsi Syrianum non haberemus auctorem (interpr. Bagol. fol. 112.) (huic enim in historicis parum circumspecto minus dandum), ad Platonem referendum sententiarum series ostendit. οὗτοι μὲν οἶν ταύτῃ προσγλιχόμενοι ταῖς ἰδέαις τὰ μαθηματικὰ διαμαρτάνουσιν. οἱ δὲ πρῶτοι δύο τοὺς ἀριθμοὺς ποιήσαντες, τόν τε τῶν εἰδῶν καὶ τὸν μαθηματικόν, ἄλλον οὐδαμῶς οὔτ' εἰρήκασιν, οὔτ' ἔχοιεν ἂν εἰπεῖν, πῶς καὶ ἐκ τίνος ἔσται ὁ μαθηματικός· ποιοῦσι γὰρ αὐτὸν μεταξὺ τοῦ εἰδητικοῦ καὶ τοῦ αἰσθητοῦ· εἰ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ, ὅ αὐτὸς ἐκείνῳ ἔσται τῷ τῶν ἰδεῶν, ἐξ ἄλλου δέ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου· τὰ γὰρ μεγέθη ποιεῖ· εἰ δ' ἕτερόν τι ἐρεῖ, πλείω τὰ στοιχεῖα ἐρεῖ· καὶ εἰ ἕν τι ἑκατέρου ἡ ἀρχή, κοινόν τι ἐπὶ τούτων ἔσται τὸ ἕν. ζητητέον τε πῶς καὶ ταῦτα πολλὰ τὸ ἕν, καὶ ἅμα τὸν ἀριθμὸν γενέσθαι ἄλλως· ἢ ἐξ ἑνὸς καὶ δυάδος ἀορίστου ἀδύνατον κατ' ἐκεῖνον. Sicut hoc κατ' ἐκεῖνον Platonem significat, ita illud μέγα καὶ μικρὸν Platoni proprium, a posterioribus demum, ut vidimus, paululum ab origine deflexum et immutatum. Quae leguntur non satis plana sunt. Quid enim? quod modo duo tantum numerorum genera statuta esse traduntur, modo tria enumerantur, ut vel ἀριθμὸν αἰσθητόν, vel saltem verbum ἄλλον sublatum cupias. Ille quum removeri nequeat, mendum in hoc positum esse oportet. Fortasse uncis includendum est. Quod ὁ ἀριθμὸς αἰσθητός numerari non solet, ut alioquin de duobus tantum generibus agatur, de ideali et mathematico: id minus

mirum est, quia numerus rebus quasi concretus a mathematico non potest differre, nisi quod hic purus, ille ad res rejectus. Tria emergunt numerorum genera, ὁ ἀριθμὸς ὁ εἰδητικός, μαθηματικός, αἰσθητός, quae eadem afferre Alexandrum Aphrodisiensem Syrianus ad Aristotelis metaphysica XIII. 6. testis est, φυσικοῦ ἀριθμοῦ nomine αἰσθητῷ substituto [1]). Quem numerum αἰσθητὸν confirmat Aristoteles metaphys. I. 6. *A.* p. 27., ubi, postquam Pythagoreorum numeros excussit, ita pergit: ὁ μὲν γὰρ Πλάτων ἕτερον εἶναί φησι· καίτοι κἀκεῖνος ἀριθμοὺς οἴεται καὶ ταῦτα εἶναι καὶ τὰς τούτων αἰτίας, ἀλλὰ τοὺς μὲν νοητοὺς αἰτίους, τούτους δὲ αἰσθητούς. Quo loco, qui est constans vocis usus, ἀριθμοὶ νοητοὶ numeri intelligibiles h. e. ideales videntur, ac si quod nomini εἰδητικοῦ ἀριθμοῦ fixae magis scholae formulae vestigium impressum, hoc ipsum νοητοῦ ἀριθμοῦ nomen Platonis dicendi rationi optime respondet. His locis collatis, ex altero numeris idealibus rerum causas, ex altero mathematicis quantorum definitiones (τὰ γὰρ μεγέθη ποιεῖ) assignatas esse videmus. Nec dubitamus, quin αἰσθητὸς ἀριθμός numerus, quatenus in ipsa natura et rerum multitudine deprehenditur, indicetur. Quodsi rara ejus apud Aristotelem mentio, id fortasse indubitatam rei perspicuitatem probat neque ejus fidem extenuat.

In his numerorum generibus inter se distinguendis complura loca Platonicos fluctuasse aperte testantur. Ac si alii ab ideali numero desciscentes solum mathematicum agnoverunt, alii mathematica ad ideas

1) Brandis d. perditis Arist. libr. p. 45. Cf. et Jo. Philopon. ad Aristot. d. anim. I. 2.

traduxerunt, alii denique ex utroque numero et mathematico et ideali unum genus conflarunt: tanquam primum et genuinum significatur, utrumque genus ab auctore fuisse distentum [1]). Ex aliis cf. potissimum XIII. 9. *M.* p. 285. Brand.

Metaphysica XIII. 8. *M.* p. 278. Br. quamquam pauca, tamen magis definita, de ignota hac Platonis philosophiae parte memoriae produnt. *εἰ δέ ἐστι τὸ ἓν ἀρχή, ἀνάγκη μᾶλλον, ὥςπερ Πλάτων ἔλεγεν, ἔχειν τὰ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς καὶ εἶναί τινα δυάδα πρώτην καὶ τριάδα, καὶ οὐ συμβλητοὺς εἶναι τοὺς ἀριθμοὺς πρὸς ἀλλήλους.* Quae ad principem numerorum ordinem, idealem dico, pertinere, tum universus loci nexus docet, tum quod mathematicus numerus is definitur, cujus monades consociabiles (*συμβληταί*). cf. XIII. 7. *M.* p. 272. Brand. XIII. 6. *M.* p. 270. Brand. [2]). E quibus locis, quid ex Aristotelis dicendi ratione *ἀριθμοὶ συμβλητοί* et *οὐ συμβλητοί* sibi velint, satis liquet. Etenim monades, e quibus numeri conficerentur, sive inter se pares et similes positae sunt, sive omnino dissimiles. Unde illae in unum numerum coalescere possunt, *συμβληταί*, consociabiles, sive, si dicere liceret, combinabiles; hae, quarum altera ab altera dissimilitudine sejunctae, *ἀσύμβλητοι*; quod a monadibus ad numeros translatum est. Tales quidem numeros *ἀσυμβλήτους* Plato posuit ideales. Singuli itaque numeri inter se non numero solum, sed etiam elementis

1) V. Brandis de perditis Aristotelis libris etc. p. 45. sq. cf. et Arist. metaph. XIV. 2. *N.* p. 293. Brand.

2) cf. et metaph. III. 6. *B.* p. 59. Brand.

diversi. Quas si Aristoteles proprias dicit propositiones a mathematicis alienas: id rem, ut ajunt, acu tangit. (cf. metaph. XIII. 6. p. 271. XIII. 9. p. 285. Brand.) Sed quum Plato dialectica via a rebus ad ideas progressus ab ideis ad numeros pelleretur: periculum erat, ne notionum diversitas, quam tueri voluit, pari et aequabili numerorum natura differentiae fere experti plane restingueretur. Unde factum esse judicamus, ut Plato ipsa dialectica ratione notionum diversitatis haud immemor diversa numerorum idealium elementa inveniret. Confirmantur quodammodo, quae diximus, loco, qui Platonis sententias pertractat et diiudicat, metaph. I. 7. *A.* p. 31. Brand., ubi, quod *συμβλητόν* vocatum est, *ὁμοειδές* apte insignitur. *ἔτι ἐκ πολλῶν ἀριθμῶν εἷς ἀριθμὸς γίνεται, ἐξ εἰδῶν δὲ ἓν εἶδος πῶς; εἰ δὲ μὴ ἐξ αὐτῶν ἀλλὰ τῶν ἐναρίθμων, οἷον ἐν τῇ μυριάδι, πῶς ἔχουσιν αἱ μονάδες; εἴτε γὰρ ὁμοειδεῖς, πολλὰ ἄτοπα συμβήσεται, εἴτε μὴ ὁμοειδεῖς, μήτε αἱ αὐταὶ ἀλλήλαις μήτε αἱ ἄλλαι πᾶσαι πάσαις· τίνι γὰρ διοίσουσιν ἀπαθεῖς οὖσαι;* Ita in illo „ex ideis quomodo una idea?“ causa posita nostra, cur ideales numeros diversis oportuerit elementis constare.

Hoc loco cavendum est, ne, quod Syriano accidit, cognatae numerorum notitiae misceantur. Hic enim *ἀριθμὸν ἀσύμβλητον* cum numero non monadico confudisse videtur, ut idealem numerum non monadicum existimaret [1]).

---

1) Vid. Syrian. commentarius ab Hieronymo Bagolino latinitate donatus. fol. 97. b. 98. a. „Etsi millia componantur tot jocularia [quot scilicet et qualia Aristotelis argumenta

Sed ita differt Pythagorica et Platonica numerorum doctrina, ut Pythagorei numeros non monadicos statuerent, Plato omnino non agnosce-

---

appellavit], contra eos, qui capti sunt, admiratione antiquae philosophiae nihil perficiunt. omnes namque argumentationes fecit ut contra Monadicos, hoc est ex unitatibus constitutos numeros. divinorum autem nullus est talis, sed solum forte mathematicus:" Reliqua, quae adjici operae pretium est, jam Graece edidit Brandisius de perditis Aristot. libr. p. 47. *ὅτι καὶ αὐτὸς ὁμολογεῖ μηθὲν εἰρηκέναι πρὸς τὰς ἐκείνων* (i. e. *τῶν ἀπὸ Πλάτωνος*) *ὑποθέσεις, μηδ' ὅλως παρακολουθεῖν τοῖς εἰδητικοῖς ἀριθμοῖς, εἴπερ ἕτεροι τῶν μαθηματικῶν εἰσιν, μαρτυρεῖ τὰ ἐν τῷ β τῶν περὶ τῆς φιλοσοφίας ἔχοντα τοῦτον τὸν τρόπον· ὥστε εἰ ἄλλος ἀριθμὸς αἱ ἰδέαι μὴ μαθηματικὸς δέ, οὐδεμίαν περὶ αὐτοῦ σύνθεσιν ἔχοιμεν· ἄν τις γὰρ τῶν γε πλείστων ἡμῶν συνίησιν ἄλλον ἀριθμόν· ὥστε καὶ νῦν ὡς πρὸς τοὺς πολλοὺς τοὺς οὐκ εἰδότας ἄλλον ἢ τὸν μοναδικὸν ἀριθμόν, πεποίηται τοὺς ἐλίγχους, τῆς δὲ τῶν θείων ἀνδρῶν διανοίας οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἐφήψατο.* ad Aristot. metaph. XIII. 9. *M.* p. 286. Brand. In quo Syriani loco ex Aristotelis secundo de philosophia libro, qui laudatur, verba latere abscondita, Brandisius probabile esse censet a verbis inde *ὥστε εἰ ἄλλος* usque ad *ἄλλον ἀριθμόν*. Quod mihi quidem secus videtur. Illa enim verba nihil aliud persequuntur, quam quod Syrianus Aristoteli objecerat, numeros ideales tanquam monadicos tractasse. Ideales vero ejusmodi esse, in quos compositio (*σύνθεσις*), qualis quidem sit monadicorum, omnino cadat nulla. Quae Brandisio non sine causa manca visa sunt, ea fortasse facili negotio ad bonam frugem possunt revocari, si scribas: *ὥστε εἰ ἄλλος ἀριθμὸς αἱ ἰδέαι μὴ μαθηματικὸς δέ, οὐδεμίαν περὶ αὐτοῦ σύνθεσιν ἔχοιμεν ἄν. τίς γὰρ τῶν γε πλείστων συνίησιν ἄλλον ἀριθμόν;* ita ut hac interrogatione conditionem, quae facta est (*εἰ ἄλλος* etc.) re vera locum habere affirmet — quam concludendi rationem prisca logica modum ponentem dixit. Etsi particula *ἄν* post verbum et ultima periodi sede positum elegantiores aures offendat, tamen hoc eo aequius tolerandum, quo aegrius particula *ἄν* in ejusmodi secundo enunciationis membro careris.

ret [1]). Sicut monades, quippe quae, ut vidimus, στιγμαὶ ἄθετοι, ita et omnes numeri ex his geniti, spatii magnitudine carent. Pythagorei autem, propterea, puto, quod ipsas res numeros ceperunt, eo delati sunt, ut numerorum suorum monades statuerent continuae magnitudinis participes [2]). Quae quum sint μονάδες, ut ita dicam, ἀμόναδες, monades a vera notione declinatae, Aristoteles numeros ex his compositos voce rei apta sive accepta sive inventa, non monadicos appellavit. Plato autem ideas et numeros a rebus avocans ejusmodi decreti plane est nescius.

E loco, unde, ut, quid sit ἀσύμβλητος ἀριθμός, exponeremus, digressi sumus (metaph. XIII. 8. *M.* p. 278. Brand.), etiam alterum quid ad loquendi rationem accuratius definiendam colligendum esse

---

1) Aristot. metaph. XIII. 6. *M.* p. 271. Brand. μοναδικοὺς δὲ τοὺς ἀριθμοὺς εἶναι πάντες τιθέασι, πλὴν τῶν Πυθαγορείων, ὅσοι τὸ ἓν στοιχεῖον καὶ ἀρχὴν φάσαν εἶναι τῶν ὄντων· ἐκεῖνοι δ' ἔχοντα μέγεθος, καθάπερ εἴρηται πρότερον.

2) Cf. Aristotel. metaph. XIII. 6. *M.* p. 271. Brand. de Pythagoreis ita scribit: τὸν γὰρ ὅλον οὐρανὸν κατασκευάζουσιν ἐξ ἀριθμῶν, πλὴν οὐ μοναδικῶν, ἀλλὰ τὰς μονάδας ὑπολαμβάνουσιν ἔχειν μέγεθος· ὅπως δὲ τὸ πρῶτον ἓν συνίστη ἔχον μέγεθος, ἀπορεῖν ἐοικάσιν. — XIII. 8. *M.* p. 279. ἀλλὰ μὴν ὅ γ' ἀριθμητικὸς ἀριθμὸς μοναδικός ἐστιν. ἐκεῖνοι δὲ τὸν ἀριθμὸν τὰ ὄντα λέγουσι. τὰ γοῦν θεωρήματα προσάπτουσι τοῖς σώμασιν, ὡς ἐξ ἐκείνων ὄντων τῶν ἀριθμῶν. — XIV. 5. *N.* p. 304. ὅτι δὲ οὐχ οἱ ἀριθμοὶ οὐσίαι οὐδὲ τῆς μορφῆς αἴτιοι, δῆλον. ὁ γὰρ λόγος ἡ οὐσία, ὁ δ' ἀριθμὸς ὕλη. οἷον σαρκὸς ἡ ὀστοῦ ἀριθμὸς ἡ οὐσία. οὕτω τρία πυρός, γῆς δὲ δύο· καὶ ἀεὶ ὃ ἀριθμὸς ὃς ἂν ᾖ τινῶν ἐστίν, ἢ πύρινος ἢ γήϊνος ἢ μοναδικός.

arbitror. Ceteris enim clarius ostendit, *πρώτην δυάδα, πρώτην τριάδα* eandem significari atque dyada, triada ex idealibus numeris. Hos omnino *πρώτους ἀριθμούς* dictos esse neque a rei natura neque a locorum testimoniis alienum videtur. Qui dicendi usus exemplis comprobatur, metaphys. XIII. 6. *M.* p. 271. Brand. *ἄλλος δέ τις τὸν πρῶτον ἀριθμὸν τὸν τῶν εἰδῶν ἕνα εἶναι*, deinde XI. 2. *K.* p. 215. Brand.: *ἔτι δὲ τοῖς τὴν πρώτην ἀρχὴν τὸ ἓν λέγουσι καὶ τοῦτο οὐσίαν, ἐκ δὲ τοῦ ἑνὸς καὶ τῆς ὕλης τὸν ἀριθμὸν γεννῶσι πρῶτον καὶ τοῦτον οὐσίαν φάσκουσιν εἶναι, πῶς ἐνδέχεται τὸ λεγόμενον ἀληθὲς εἶναι; τὴν γὰρ δυάδα καὶ τῶν λοιπῶν ἕκαστον ἀριθμῶν τῶν συνθέτων πῶς ἓν δεῖ νοῆσαι;* In his dyada tantum primam esse vocatam statuere, primi loci, modo subtilius consideretur, vetat ratio; indicatur enim, plerisque non unum tantum numerum fuisse idealem. Quam si tenemus dictionis consuetudinem, meliorem lucem obscuro loco affulgere videas. Est hic ex illo, cujus magnam partem in via nostra secuti sumus, metaphys. I. 6. *A.* p. 21. Brand. *τὸ δὲ δυάδα ποιῆσαι τὴν ἑτέραν φύσιν διὰ τὸ τοὺς ἀριθμοὺς ἔξω τῶν πρώτων ἐνφυῶς ἐξ αὐτῆς* (i. e. *ἐκ τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ*) *γεννᾶσθαι, ὥςπερ ἔκ τινος ἐκμαγείου.* Ad quem locum Alexander Aphrodisiensis (interpr. Jo. Sepulveda fol. 11. a.) primos numeros esse impares, quippe qui sint paribus priores, comprobare laborat; impares enim a dyade non generari, nisi addita unitate. Quae opinio suas in se habet difficultates, ne dicam repugnantias. Primum enim, quis impares numeros simpliciter primos appellet? — Deinde quoniam numeri non a dyade generari dicuntur, quasi ea ut forma signentur, quemadmodum *ἐκμαγεῖον* ab Alexandro

erceptum, sed e dyade tanquam ex uda materia, uae etiam ἐκμαγεῖον est: numeri impares juxta atque ares e dyade i. e. magno et parvo gigni possunt. Alexandri opinio cum ejus de dyade sententia, quam upra refutare studuimus, arctissime conjuncta. Jam ero si ponimus πρώτους ἀριθμούς, ut fieri posse eclaravimus, principes i. e. ideales numeros, certe t hi e dyade i. e. e magno et parvo generantur; ed, quoniam simul diversis elementis constant (ἀσύμ-θλητοι), Aristoteles sane habuit, cur hos neque eadem et facili ratione (εὐφυῶς) neque ex eadem proprie materia gigni significaret. ἐκμαγεῖον, etsi saepius forma, qua quid exprimitur, tamen etiam mollis materia, quae effingitur, quae imaginem recipit, ut Plat. Tim. p. 50. c. [1]). Hanc, siquidem ἐκμαγεῖον ad dyada pertinet, hoc quidem loco indicatam esse oportere, eo certe omni dubitatione eximi videtur, quod dyas in antecedentibus plus semel materia et ipso verborum ambitu τὸ ἕτερον indicatur. Si velles ἐκμαγεῖον formam tueri propter ea fortasse, quae sequuntur: non ad dyada referendum esset, sed ad ipsam unitatem, qua tanquam forma e magno et parvo numeri fiunt. Ita si numerorum universa quaedam fabrica, qua omnes eodem modo excuderentur, nostro loco tangeretur: ab hac quoque, ut sententia

1) Ita Euseb. praep. evang. XV. 44. Ἀριστοτέλης καὶ Πλάτων τὴν. ὕλην (intell. φασί) — — — — ἄποιον μὲν ὅσον ἐπὶ τῇ ἰδίᾳ φύσει, δεξαμένην δὲ τῶν εἰδῶν, οἷον τιθήνην καὶ ἐκμαγεῖον καὶ μητέρα γενέσθαι. Cf. Vales. ad h. l. not. p. 97. Hemsterhuis. ad Polluc. IX. 130.

sibi constaret, numeri principes essent excipiendi. Sed prior ratio, qua ἐκ τινος ἐκμαγείου materia capitur, sicut prima sese offert et grammatica apponendi conjunctione commendatur, ita propter praepositionem ἐκ omnino est necessaria.

Hac via quum certa quaedam invenerimus, quae in numeri idealis et mathematici differentia sequamur, jam ad locos duos inter se, ut videtur, repugnantes accedendum est; quos si in prima acie collocassemus, omnes facile ordines turbassent, plus discriminis, quam opis afferentes. Leguntur metaphys. XIII. 6. *M.* p. 271. Brand. atque ethic. ad Nicomach. I. 4. — Ille haec habet: οἱ μὲν οὖν ἀμφοτέρους φασὶν εἶναι τοὺς ἀριθμούς, τὸν μὲν ἔχοντα τὸ πρότερον καὶ ὕστερον τὰς ἰδέας, τὸν δὲ μαθηματικὸν παρὰ τὰς ἰδέας καὶ τὰ αἰσθητά, καὶ χωριστοὺς ἀμφοτέρους τῶν αἰσθητῶν· οἱ δὲ τὸν μαθηματικὸν μόνον ἀριθμὸν εἶναι τὸν πρῶτον τῶν ὄντων κεχωρισμένον τῶν αἰσθητῶν. Ethica contra ad Nicomachum I. 4. οἱ δὲ κομίσαντες τὴν δόξαν ταύτην οὐκ ἐποίουν ἰδέας ἐν οἷς τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον ἔλεγον· διόπερ οὐδὲ τῶν ἀριθμῶν ἰδέαν κατεσκεύασαν. His inter se collatis, alterum, ideas eum definiri numerum, qui habeat prius et posterius, alteri, non ideas factas eorum, in quibus sit prius et posterius, prorsus repugnat. Si litem ita velles dirimere, ut loca ad diversum auctorem traheres: uterque tamen ad unam illam Platonicorum scholam pertineret, in qua haec notionum plane inversio neutiquam credibilis. Adde, quod posterior locus Platoni idearum auctori non potest eripi, nec prior, quandoquidem Platonis discipulos idealis et mathematici numeri

differentiam deseruisse satis constat [1]). Quae quum ita sint, ut verum et certum, etiamsi non assequamur, saltem sectemur, singulae et interpretandi et componendi viae tentandae. Primum quaeritur, quid sit τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον. Cui ideae obversantur, is facile his verbis τὸ γίγνεσθαι, quod in eo positum est, ut prius posteriori sensim sensimque excipiatur, significari conjiciat. Quod si ad priorem locum transferres, ideae is esse possent numerus, qui teneret τὸ γίγνεσθαι, qui in nascentibus rebus quasi dominaretur, nisi illud ἔχειν paulo artificiosius „tenere, regere" interpretari religioni duceres. Quocum consentirent priora alterius loci: „non ideas factas esse ea, in quibus τὸ γίγνεσθαι, quae non sint, sed fiant." Ita vero, quae sequuntur, „propterea nec numerorum parasse ideam" justo nexu destituta. Quae quidem eo difficiliora videbuntur, quo clarius, numeros esse factos ideas, tum e Platonis Phaedone tum ex Aristotelis testimoniis patet. Ex his ut aliquis certe exitus muniatur, locus conferendus est, ubi Aristoteles, quid Platoni prius et posterius dictum sit, commemorat, metaph. V. 11. Δ. p. 103. Brand. ἔτι πρότερα λέγεται τὰ τῶν προτέρων πάθη, οἷον εὐθύτης λειότητος· τὸ μὲν γὰρ γραμμῆς καθ' αὑτὴν πάθος, τὸ δὲ ἐπιφανείας· τὰ μὲν δὴ οὕτω λέγεται πρότερα καὶ ὕστερα· τὰ δὲ κατὰ φύσιν καὶ οὐσίαν, ὅσα ἐνδέχεται εἶναι ἄνευ ἄλλων, ἐκεῖνα δὲ ἄνευ ἐκείνων μή· ᾗ διαιρέσει ἐχρήσατο Πλάτων. Ita certe prius et posterius ab ideis abest, quippe quae verae rerum notiones ipsae sunt conditio, ex se autem conditiones exclu-

1) Cf. supra et Brandis de perditis Aristotelis libris etc. p. 45. sq.

dunt. In numeros autem hac ratione prius et posterius cadit; posterior enim e numerorum serie priori tanquam conditione nititur eumque continet. Quare communis omnium numerorum idea (τῶν ἀριθμῶν ἰδέα) parari non licuit. Singuli vero numeri, praesertim ἀσύμβλητοι, in quibus per se ejusmodi ratio non obtinet, quominus ideae fiant, his non prohibentur. Ita prius et posterius ad mathematicum numerum remissum est. Hoc et propter rei et propter loci de priori et posteriori consensum stare videtur, ut verborum ex ethicis fides elevari non debeat. — Sed quid tandem altero metaphysicorum loco faciendum? Plane enim adversatur. Si mendum quaeras, hic, in quo levis tantum notitia, majore jure, quam ille ethicorum, in quo omnia firmiter sibi constant, in suspicionem incurrit. Ut omnia inter se conspirent, conjicias, excidisse negationem μὴ, antecedenti particula μὲν facile, ut fit, quasi absorptam, ut legatur εἶναι τοὺς ἀριθμούς, τὸν μὲν μὴ ἔχοντα τὸ πρότερον καὶ ὕστερον τὰς ἰδέας. Quam quidem rationem magis esse ultima quaeque experientis, quam componentis libenter confiteor. Sed quum per se prorsus non capiam, quid sit numerus prius et posterius continens, ita quidem, ut hac nota ab aliis numeris omnibus distinguatur: jam illam conjecturam retinendam censeo, donec aptius quid fuerit repertum.

Si quaeritur, quot fuerint numeri ideales et qua lege genus eorum sit circumscriptum et definitum, ut nec justo plures irreperent neque alii excluderentur: in hac re, quam rationem Plato secutus sit, e parcis illis, quae nobis relicta sunt, vestigiis non satis perspectum habemus. Est tamen locus physicorum

III. 6, ex quo aliqua saltem conjectura concipi liceat. Ibi enim Aristoteles infinita illa duo, magnum et parvum, dijudicans id objicit Platoni, non ei opus esse neque infinito parvo, quum monada minimum, neque infinito magno, quum decada ultimum faciat numerum. *ποιήσας (Πλάτων) μέντοι δύο (ἄπειρα), οὐ χρῆται. οὔτε γὰρ ἐν τοῖς ἀριθμοῖς τὸ ἐπὶ τὴν καθαίρεσιν ἄπειρον ὑπάρχει· ἡ γὰρ μονὰς ἐλάχιστον· οὔτε ἐπὶ τὴν αὔξησιν· μέχρι γὰρ δεκάδος ποιεῖ τὸν ἀριθμόν.* Quae quidem vulgares numeros nullo limite cohibitos non tangere, intelligitur. Necesse itaque est, respici numeros ideales, id quod certo eo propius, quoniam his tum magnum et parvum subest, tum necessario fines quidam constituendi erant. Confirmantur haec metaphysicis XII. 8. *A.* p. 250. Brand. [1]) nec dissentiunt, quae Joh. Philoponus ad Aristot. d. an. I. 2. C. p. 2. contulit. In Joh. Philoponi explicatione id tantum me offendit, quod ab eo, quamquam hi numeri ideales tales traduntur, qui inter se diversi convenire et in unum conjici nequeant (*ἀσύμβλητοι*), decas e primis quatuor numeris in unum inter se conjunctis gignitur. Quod Plato decada terminum fecit, id e communi numerandi ratione decadica, quam ut unicam et immutabilem veteres facile venerabantur, haud dubie fluxit; quod ita promtum, ut, etsi idem de Philolao et Archyta memoriae prodi-

1) *ἡ μὲν γὰρ περὶ τὰς ἰδέας ὑπόληψις οὐδεμίαν ἔχει σκέψιν ἰδίαν. ἀριθμοὺς γὰρ λέγουσι τὰς ἰδέας οἱ λέγοντες ἰδέας, περὶ δὲ τῶν ἀριθμῶν ὅτε μὲν ὡς περὶ ἀπείρων λέγουσιν, ὅτε δὲ ὡς μεχρὶ τῆς δεκάδος ὡρισμένων· δι' ἣν δ' αἰτίαν τοσοῦτον τὸ πλῆθος τῶν ἀριθμῶν, οὐθὲν λέγεται μετὰ σπουδῆς ἀποδεικτικῆς.*

tur [1]), non necesse sit, Platonem hanc quoque sententiam Pythagoreis acceptam retulisse.

At vero quum, ut universae rerum causae, ita et harmoniae maxime ad numeros ideales referantur (cf. metaph. XIV. 6. N. p. 307. Brand.), consentaneum est, harmoniae quoque in Platonis Timaeo numeros ideales judicare. Hi autem ultra decada progrediuntur. Quae sane implicata sunt. Sed quum numeri, qui ibi adhibentur, primorum et simplicium sint dignitates (δυνάμεις), hae fortasse generationes quaedam e semet ipso visae sunt, ut ἀσυμβλήτῳ numerorum idealium naturae non repugnent. Ita et hi numeri intra primam decada possint contineri. Sed haec, etiamsi per se probabilia, pro certis non venditabo.

Jam si numeros ideales dici causas supra vidimus, vestigia, quomodo sint causae, conquirenda sunt. Tria nobis servata sunt exempla, quibus abstrusior rei notitia nobis quodammodo in vitam introduceretur.

Prima quidem obscura significatio in ipso metaphysicorum exitu XIV. 6. N. p. 307. ubi Aristoteles numeros impugnans ostendere studet, fieri non posse, ut numeri ideales, quales quidem inter se differentes fingantur, harmoniae, quemadmodum statutum sit, causa judicetur. ἔτι οὐχ οἱ ἐν τοῖς εἴδεσιν ἀριθμοὶ αἴτιοι τῶν ἁρμονικῶν καὶ τῶν τοιούτων· διαφέρουσι γὰρ ἐκεῖνοι ἀλλήλων οἱ ἴσοι εἴδει· καὶ γὰρ αἱ μονάδες· ὥστε

1) Cf. Theon. Smyrn. 49. ἡ μέντοι δεκὰς πάντα πέραινει τὸν ἀριθμόν.

διά γε ταῦτα εἴδη οὐ ποιητέον [1]). In quibus ἀσυμβλήτην horum numerorum naturam contra ipsum urget auctorem.

Alterum exemplum invenimus in libro de anima I. 2. med., ubi Aristoteles, postquam animam ab Empedocle ex elementis conflatam esse, ut similia similibus cognosci possent, paucis commemoravit, ita pergit: τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἐν τῷ Τιμαίῳ Πλάτων τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ· γιγνώσκεσθαι γὰρ ὁμοίῳ ὅμοιον· τὰ δὲ πράγματα ἐκ τῶν ἀρχῶν εἶναι· ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λεγομένοις διωρίσθη, αὐτὸ μὲν τὸ ζῶον ἐκ τῆς τοῦ ἑνὸς ἰδέας καὶ τοῦ πρώτου μήκους καὶ πλάτους καὶ βάθους· τὰ δ' ἄλλα ὁμοιοτρόπως· ἔτι δὲ καὶ ἄλλως, νοῦν μὲν τὸ ἕν, ἐπιστήμην δὲ τὰ δύο· μοναχῶς γὰρ ἐφ' ἕν· τὸν δὲ τοῦ ἐπιπέδου ἀριθμὸν, δόξαν· αἴσθησιν δὲ τὸν τοῦ στερεοῦ· οἱ μὲν γὰρ ἀριθμοὶ τὰ εἴδη αὐτὰ καὶ ἀρχαὶ τῶν ὄντων ἐλέγοντο· εἰσὶ δὲ ἐκ τῶν στοιχείων· κρίνεται δὲ τὰ πράγματα τὰ μὲν νῷ, τὰ δὲ ἐπιστήμῃ, τὰ δὲ δόξῃ, τὰ δὲ αἰσθήσει· εἴδει δ' οἱ ἀριθμοῖ οὗτοι τῶν πραγμάτων. Locum Brandisius tractavit de perd. Ar. libr. etc. p. 48. sq., additis praecipuis veterum interpretum explicationibus.

---

1) Locum propter brevitatem obscurum Syrianus (interpr. Bagolin. fol. 122. b.) recte explicuit. „Hoc in solos ideales numeros detrusum est, quos dicit incomparabiles habere unitates, et ob hoc differentiam ostendere etiam inaequalibus. ut ternario qui ibi est, non esse triplicem partem per-se-nonarii, nec medium per-se-senarii. Si igitur, inquit, tales sunt ideales numeri, minime causae fuerint consonantiarum. nam in consonantiis phthongi voce consimiles aequales sunt, et vere dupla est constituta ad eam, quae sub ipsa est" etc.

In loco nostro presso et fere contorto ante omnia tenendum est, quo Aristoteles omnes has sententias tanquam continuo filo complectatur; quod quidem est illud, similia similibus cognosci. Quae sententia, gravis illa et per plures scholas propagata, si apud Empedoclem rudi fere et indistincto primordio ad duram materiae elementorum naturam adstricta est, nullo certe loco ad acutiorem subtilitatem traducta, quam hoc nostro Platonis. Etsi ejusmodi rationem, similia similibus cognosci, in ea Timaei parte, ubi animus gignitur, significatam non invenimus: tamen ea neque a loci natura, neque ab universo Timaeo aliena [1]). Ubi de videndi causa et oculi natura agitur, sententia ipsis verbis legitur (Tim. p. 45. c. St.). Ac ne quis eo offensus, quod Plato animum ex elementis genuisse dicitur, Aristotelem Platonis sententiam detorsisse suspicetur, ut Patricius hoc quoque loco (p. 345.), meminerit, τὰ στοιχεῖα ab Aristotele saepius a materia ad cogitatas formas et notiones transferri (cf. supra p. 18. metaph. I. 6.) — Ita et Plato, quemadmodum pergitur, ut similia similibus cognoscerentur [2]), numeros eosdem αὐτοζώου fecit, eosdem menti indidit. Sic utraque loci pars arctissime conjungenda, neque altera ab altera divellenda, quasi ab illo ἔτι δὲ καὶ ἄλλως novi quid incipiatur. Quaeritur, quid sit αὐτὸ τὸ ζῶον. Duplex certe ratio sese offert. Aut si tibi Timaei mundum ζῶον dicentis in mentem

1) Nec plane dissimilis Platonica ἀνάμνησις. cf. supra p. 46.

2) Aristoteles hanc sententiam refutat d. anim. I. 5. Ipsi autem eandem quodammodo redire dicas in praeclaro illo νόησις νοήσεως νόησις (metaph. XII. 9. Λ. p. 255. Brand.)

veniat (Tim. p. 31. a. etc.), rerum putes universitatis quasi exemplar. Ita veteres interpretes (*τὸν νοητὸν διάκοσμον* Simplic.). Aut, si *ζῶον* accuratius spectes, animantis esse ideam, eamque ex uno, ut intellectum, e dyade, ut longitudinem, e tryade, ut plana, e tetrade, ut corpora percipere possit, esse compositam. Hoc si acciperetur alterum, ea, quae sequuntur (*ἔτι δὲ καὶ ἄλλως* etc.), et sejuncta essent et mera fere repetitio. — Nos itaque, posteriori sententia relicta, Brandisio duce priorem agnoscimus. His numeris, qui rerum universitatem idea continent, componuntur iidem, qua in mente sunt vi et potestate, ut, quomodo illius rerum universitatis perceptio fieri possit, significetur. *Νοῦς* in unitate sibi constanti positus est; *ἐπιστήμη* quippe quae certa et vera, sicut recta linea, unum tantum expetit, nec dextrorsum nec sinistrorsum exspatians; dum vero expetit, motu opus est, qui quidem lineae imagine proponitur (*μοναχῶς γὰρ ἐφ' ἕν*); *δόξῃ* saepius ab unica veri via et quasi recta linea aberranti plani numerus tributus; sicut *αἰσθήσει* omnes spatii dimensiones perscrutanti quaternarius numerus. Ita, ut redeamus, unde profecta est oratio, similia similibus cognoscuntur.

Restat, ut, quae inter has duas partes interjecta sunt, *τὰ δ' ἄλλα ὁμοιοτρόπως* attingamus. Quae fuerint haec reliqua, non definimus, universas tantum ideas, ne quid Platoni obtrudatur, intelligentes. Veteres interpretes Simplicius et Joh. Philoponus *τὰ δ' ἄλλα* ad reliqua tria, quae ponunt, rerum genera trahunt. *τὰ ἐπιστητά, τὰ δοξαστά, τὰ αἰσθητά*, quae sunt Simplicii verba (fol. 7. a.), sive ad *τὰ νοητά, τὰ φυσικά, τὰ αἰσθητά*, quemadmodum dixit Joh. Philoponus

(C. fol. 2.). Simplicius haec magis perstrinxit, quam explicuit. Jam si voces conferas, omnino an haec sibi inter se apte respondeant, dubitandum est. Neque enim Simplicius ad τὰ ἐπιστητά, secundum ordinem, divina referret, sicut retulit Philoponus ad νοητὰ sua, quae αὐτὸ τὸ ζῶον tanquam primum excipiunt. Si Brandisius, ut quadripartitum hunc rerum ordinem vere Platonicum probaret, e libro Platonis de rep. VI. et VII. εἰκασίαν, πίστιν, διανοίαν, νόησιν contulit, verendum est, ne εἰκασία in natura imaginem referente posita (Pl. p. 510. a.) τοῖς αἰσθητοῖς, quae μερικὰ et ἄτομα Philoponus vocat, atque διάνοια in mathematicis sita τοῖς ἐπιστημονικοῖς, quae tanquam alterum ordinem rursus cum τοῖς νοητοῖς confundit, minus respondeant. Si certum esset, haec ab illis ex Aristotelis libro de Bono secundo in hunc locum derivata esse: fidem haberemus, τὰ δ' ἄλλα ὁμοιοτρόπως ad haec tria reliqua genera pertinere. Sed non certum est. Johannem Philoponum non ipsius niti Aristotelis testimoniis, eo mihi persuadetur, quod, quo tetras in metaphysicis relata sit, omnino tacet et ad theologiam remittit, quo autem in physicis, plane ignorare fatetur. Quomodo enim ignorasset, si illo Aristotelis de philosophia libro usus esset? num et hic tacuisse existimandus? — — Deinde si dicit in iis, quae sensus feriunt (ἐν τοῖς αἰσθητοῖς), monada capere punctum, dyada lineam, triada planum, tetrada ipsum solidum: haec a Platone certe inter mathematica, quae hic omnino neglecta sunt, posita essent, ut loca quidem, quae pertractavimus, poscere videntur. Denique illa quoque, quae de rerum a principiis defectione allata sunt, ad cujus

similitudinem numerorum vis sit composita, mihi quidem Neo-Platonica satis olent.

Quae quum ita sint, neque obscura illa in Joh. Philoponi loci principio ex Aristotelis de philosophia libris, quemadmodum Brandisius judicavit, hausta esse sunt judicanda [1]). Verba illa, si quid video, nihil aliud sunt, quam, quae ipse Aristoteles loco nostro tanquam nota posuisse videbatur, brevi praecisa et indicata. Illud *ἀριθμοὶ δὲ δεκαδικοί* Johannes Philoponus sua quidem ratione e loco ipso collegisse mihi videtur, quum, uti expositio docet, ex primis quatuor numeris decada conflaverit, id quod eo periculosius, quod hi numeri natura sint dissociabiles (*ἀσύμβλητοι*). Quae quidem sequuntur, obscura certe et ambigua, *ἕκαστον γὰρ τῶν εἰδῶν δεκάδα ἔλεγον*, equidem non ita de Platonicorum doctrina traditum acceperim, quemadmodum Brandisio placuit (p. 58), quasi in singulis ideis decadis vim et virtutem statuerint. Quod si sibi voluisset commentator, jam uti reliqua accurate exposuit, ita certe et haec persecutus fuisset. Jam vero quoniam omnibus generibus et iis, quae ratione intelliguntur, et iis, quae natura genuit, et iis, quae sensu percipiuntur, tetrada i. e. e sua ipsius sententia decada praepositam vel praeponendam putavit: nihil ad verum propius accedere puto, quam haec genera Philoponum significasse verbis illis: *ἕκαστον γὰρ τῶν εἰδῶν δεκάδα ἔλεγον.*

---

1) *ἱστορεῖ οὖν ἐκεῖ* (in libris de philosophia) *τὴν Πλάτωνος καὶ τῶν Πυθαγορείων περὶ τῶν ὄντων καὶ τῶν ἀρχῶν αὐτῶν δόξαν. λέγει οὖν φάσκειν αὐτοὺς, ὅτι τὰ εἴδη ἀριθμοί εἰσιν, ἀριθμοὶ δὲ δεκαδικοί· ἕκαστον γὰρ τῶν εἰδῶν δεκάδα ἔλεγον.*

Nec Simplicius libro de bono s. philosophia teste utitur, sed ad commentarios in metaphysica suos, quos intercidisse dolemus, nos rejicit.

Tertium superest exemplum, in quo aliqua idearum et numerorum conjunctionis est significatio. Est locus in ethicis ad Eudemum I. 8, qui, quoniam, etsi sine capite, ideas tractat, facile ad Platonem pertinet. Si non pertineat, tamen indicio esse potest, quomodo fere numeris idealibus usus sit ad ea, quae a vulgaribus numeris aliena sunt, constituenda. *ἀνάπαλιν δὲ καὶ δεικτέον, πῶς νῦν δείκνυσι τὸ ἀγαθὸν αὐτό· νῦν μὲν γὰρ οὐ τῶν ὁμολογουμένων ἔχειν τὸ ἀγαθὸν, ἐξ ἐκείνων τὰ ὁμολογούμενα εἶναι ἀγαθὰ δεικνύουσιν. ἐξ ἀριθμῶν ὅτι ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ ὑγίεια ἀγαθόν· τάξεις γὰρ καὶ ἀριθμοί· ὡς τοῖς ἀριθμοῖς καὶ ταῖς μονάσιν ἀγαθὸν ὑπάρχον, διὰ τὸ εἶναι τὸ ἓν αὐτὸ ἀγαθόν· δεῖ δ' ἐκ τῶν ὁμολογουμένων, οἷον ὑγιείας, ἰσχύος, σωφροσύνης, ὅτι καὶ ἐν τοῖς ἀκινήτοις μᾶλλον τὸ καλόν· πάντα γὰρ τάδε τάξις καὶ ἡρεμία· εἰ ἄρα, ἐκεῖνα μᾶλλον· ἐκείνοις γὰρ ὑπάρχει αὐτὰ μᾶλλον· παράβολος δὲ καὶ ἡ ἀπόδειξις, ὅτι τὸ ἓν αὐτὸ ἀγαθὸν, ὅτι οἱ ἀριθμοὶ ἐφίενται· οὔτε γὰρ ὡς ἐφίενται, λέγονται φανερῶς, ἀλλὰ λίαν ἁπλῶς τότε φασὶ καὶ ὄρεξιν εἶναι· πῶς ἄν τις ὑπολάβοι ἐν οἷς ζωὴ μὴ ὑπάρχει;* etc. Haec si recte capio, Aristoteles eos, qui ideas ponunt, insimulat, orbem quendam in demonstrando commisisse. E concessis bonis ideas collegi, ex ideis bona rursus concessa; ita e numeris, quod sint dispositiones (*τάξεις*), justitiam et sanitatem esse bona; numeris et monadibus bonum subesse, quod unum ipsum sit bonum et hoc unum omnes appetant numeri. Unum esse ipsum bonum, hoc certe Platonicum. Fortasse res ita constituta

erat, sicut numeri unum expetant, ut unius participes fiant, ita bona eatenus tantum esse bona, quatenus ad ipsum bonum, primum illud et princeps, referantur. Si Aristoteles numeros vel bona unum expetere negat, quod iis vita sit nulla, verba magis, quam rem sectari videtur. Sed gravis est ea objectio, quomodo numeri unum expetant, non esse definitum. Si crescunt numeri, unum quasi fugere videantur; sed simul, quantumcunque augentur, expetunt quodammodo; nam ut sint certi numeri, una cogitatione in unum sunt conjungendi. Hoc ipsum an iis, qui unum a numeris expeti dixerunt, observatum fuerit, in medio relinquendum est.

Haec fere ea sunt, quae de numeri idealis et mathematici discrimine ex Aristotele conferre scivimus. Si viam respicimus nostram, magnum et parvum, quo idearum cum numeris existit cognatio, huc nos deduxit. Jam rursus subit quaestio, an ideae nihil nisi meri hi numeri ideales. In quo argumenta, quae rem decernant, in locis, quae persecuti sumus, frustra quaerimus. Etiamsi, ut vidimus, propriis horum idealium numerorum elementis quodammodo cautum sit, ne omnis notionis vitalis quasi vigor in ipsa varietate et differentia positus lenta numerorum ex una et eadem monade genitorum natura tanquam serie aequabiliter fluenti tolleretur: tamen haec cautio non tanta est, quanta omnia notionis quasi jura tueatur. Si universa et summa Graecorum vitae indoles pulchritudo dici potest, haec, quemadmodum et philosophiam temperavit, in Platonis ideis absoluta apparet. Quid? quod in idea notio tanquam statua exsculpta et oculis exposita

videatur. Sed si ideae, si ipsum bonum, ipsum pulchrum ad numeros exsangues et aridos rediguntur et his inclusa tenentur, illa, quam in Platone amamus, pulchritudo, omnis, qua nos capere solent, idearum venustas expulsa evanescit. Si omnia numerando subjiciuntur, intuendo nihil relinquitur. Hoc ipsum, quod Plato a notionibus definiendis dialectica ratione ad ideas pervenit, satis impedire potuit, quominus, omni notionis ubertate deleta, nudos faceret numeros. Adde, quod multa argumenta ab Aristotele prolata (cf. metaph. VII. 16. Z. p. 157.), siquidem ideae nihil essent, nisi numeri, rem minus tangerent. Denique si horum numerorum exempla, qualia relicta videmus, diligentius versamus, vix nobis persuadebitur, Platonem his numeris *singulas* ideas, sicut dyade scientiam, tetrade sensum, vere exhaustas putasse. Sed potius quum horum quandam similitudinem reperisset, hanc ut necessariam nec fortuitam tenuisse videtur, non tam quo eos penitus in idearum locum substitueret, quam ut in eorum similitudine cogitatae idearum formae et speciei significatio quaedam proponeretur.

Magno et parvo, qua cepimus vi et notione, rem quandam consecuti nobis videmur, quam in Platone fere desiderabamus. Ideae a mathematicis, mathematica a rebus stabant separata nec commune vinculum satis erat indicatum. In magno autem et parvo sicut deprehendimus quod ideas et numeros arctius conjungat, ita et quod idearum cogitatam speciem spatii naturae quasi informet, ad rerum veritatem traducat atque ita idearum et rerum communionem constituat. Quo pertinent duo maxime loca.

Primus legitur in metaphys. I. 6. *A.* p. 22. *καὶ τίς ἡ ὕλη ἡ ὑποκειμένη (Πλάτων διώρισε), καθ' ἧς τὰ εἴδη τὰ μὲν ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν τὰ δὲ ἐπὶ τοῖς εἴδεσι λέγεται.* Ita quidem Brandisius in editis metaphysicis. *καθ' ἧς τὰ εἴδη* videtur: ad quam ideae pertinent. Mirum vero, quod eodem sensu *ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν* et *ἐπὶ τοῖς εἴδεσι* diverso casu. Ac quid tandem *τὰ εἴδη τὰ ἐπὶ τοῖς εἴδεσι*? Quare ego quidem veterem apud Alexandrum Aphrodisiensem lectionem revocandam censeo, *καθ' ἧς τὰ εἴδη μὲν ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν, τὸ δὲ ἓν ἐν τοῖς εἴδεσι λέγεται.* Ita et Brandisius in diatribe de perditis Aristotelis libris, ut, cur discrepuerit in metaphysicis, nesciam. Nec multo diversa lectio, quam editiones habent: *καθ' ἧς τὰ εἴδη τὰ μὲν ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν, τὸ δ' ἓν ἐν τοῖς εἴδεσι λέγεται.* In quo oppositio inter *τὰ εἴδη τὰ μὲν* et *τὸ δ' ἓν* offendat, quod pars parti respondere debeat. Ceterum Alexandri Aphrodisiensis lectio cum universa rei ratione optime consentit. Ita illa *καθ' ἧς τὰ εἴδη τὰ μὲν ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν* eam magni et parvi conditionem indicat, ut ideis ad res sub sensus cadentes quasi accessum paret. Sic fortasse magnum et parvum, quatenus uni tanquam materiae subjectum est, magis cum numeris cognatum, quatenus vero ideas quasi sustinet et in rerum naturam introducit, ad spatii magis rationem referendum.

Alter locus, etsi non recta via eodem tendit, ad hanc tamen magni et parvi conditionem revocandus est. Aristoteles phys. I. 9. sua aliis opponens, se et aliter *τὸ οὐκ ὄν* constituere dicit, atque Platonicos *τὸ μὴ ὄν*, et aliam ponere elementorum triada, atque illos, qui proprie duo tantum agnoscant, formam et materiam, hanc tamen in duo illa magnum et parvum discedentem. *ἡμεῖς μὲν γὰρ ὕλην καὶ στέρησιν ἕτερον εἶναί φαμεν· καὶ τούτων τὸ μὲν οὐκ ὂν εἶναι κατὰ συμβεβηκὸς, τὴν ὕλην· τὴν δὲ στέρησιν, καθ' αὑτήν· καὶ*

τὴν μὲν ἐγγὺς καὶ οὐσίαν πως, τὴν ὕλην, τὴν δὲ στέρησιν οὐδαμῶς. οἱ δὲ τὸ μὴ ὂν τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν ὁμοίως ἢ τὸ συναμφότερον, ἢ τὸ χωρὶς ἑκάτερον etc. Aristoteles materiam, ut dicit, τὸ οὐκ ὂν statuit κατὰ συμβεβηκός, non propterea quod ipsa per se non est, sed quod privatio (ἡ στέρησις), quae est negatio, in ea sese manifestat. Platonici vero, ut materiam, ita magnum et parvum μὴ ὄν nominasse videntur, tum quod uni, τῷ ὄντως ὄντι, oppositum, tum quatenus nihil est per se, ac solummodo τὸ τοῦ ὄντος δυνατόν, sive idearum sive rerum conditio.

Si omnibus his, quas ex Aristotele depromsimus, sententiis id demum summum spectatae fidei est documentum, ut non solum Platonis philosophiae, qualis in dialogis ipsa se aperit, non repugnent, sed ut in hac locos inveniant, quibus sese adjungant et quos quodammodo suppleant; hac quidem ratione in singulis dialogis haud multa hujus magni et parvi, et eorum, quae ex iis consequentia vidimus, vestigia expressa et quasi praeformata semina deprehendimus. Quod in hunc finem ab ipsa inde antiquitate Philebum afferunt, Philebi certe ἄπειρον τῷ πέρατι oppositum (p. 16. c. sq. Steph.) cognatum est, et nostra, quae ex Aristotele repetivimus, fortasse erat praeparaturum. Sed quamquam in Philebo τὸ ἄπειρον et τὰ πολλά arcte conjuncta sunt, tamen illud non tanta est vi, quanta apud Aristotelem apparet; in Philebo magis in singulis rebus detentum, minus generale per se principium, rerum fere universitatem gignens; non tam ipsum quoque idearum elementum, quam ab ideis avocatum. Quod facile patebit, si singula in Philebo infiniti exempla comparare placuerit. Si e Philebo τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον (p. 24. b. sq. Steph.), quae ipsa ἀπειρία continentur, cum hoc Aristotelis magno et parvo collata sunt: id minus aptum vide-

tur. Illa enim, id quod exempla adjecta probant (τὸ ψυχρότερον καὶ θερμότερον, τὸ σφόδρα καὶ ῥέμα), minus infinita dicenda, quam non determinata, quamquam et in his mutui harum notionum commercii, quod etiam in magno et parvo cernitur, impressae quaedam notae facile agnoscuntur. Non minus conferenda sunt ταὐτὸν et θάτερον e Sophista (p. 255. sq.), et Timaei principia (p. 35. sq.) ἡ ἀμερίστη οὐσία et μεριστή, ita tamen, ut θάτερον, ἡ μεριστὴ οὐσία magno et parvo respondeant, cujus rei indicia supra ex Aristotele attulimus, ταὐτὸ vero et τὸ ἀμέριστον ei principio, quod Aristoteles τὸ ἕν significavit. Neque quomodo talis duplex natura (idealis et materialis), qualis ταὐτοῦ et θατέρου vocabulis denotatur, in magno et parvo conjuncta cogitari possit, ut Brandisius innuere videtur (diatrib. laud. p. 64. 65.), satis perspicimus. Ita si haec duo principia inter se opposita (idem et alterum) jam solo magno et parvo occupanda essent, quid tandem apud Platonem relinqueretur, quo τὸ ἕν, de quo Aristoteles tradit, pertineret? — In alio Platonis loco, illo quidem per se claro et leviori, ab Aristotele de magno et parvo edoctus gravem quandam et apertam magni et parvi significationem invenerim. Rep. VII. p. 524. d. Διὰ δὲ τὴν τούτου σαφήνειαν, μέγα αὖ καὶ σμικρὸν ἡ νόησις ἠναγκάσθη ἰδεῖν, οὐ συγκεχυμένα, ἀλλὰ διωρισμένα, τοὐναντίον ἢ ἐκείνη. Ἀληθῆ· Οὐκοῦν ἐντεῦθέν ποθεν πρῶτον μὲν ἐπέρχεται ἔρεσθαι ἡμῖν τί οὖν ποτ' ἐστὶ τὸ μέγα αὖ καὶ τὸ σμικρόν· Παντάπασι μὲν οὖν· καὶ οὕτω δὴ τὸ μὲν, νοητὸν, τὸ δ', ὁρατὸν ἐκαλέσαμεν.

Sed singulis his locis gravius est, quod hae notitiae ex Aristotele haustae ab universa Platonis philosophia facile suscipiuntur. Ostendimus enim, quomodo magnum et parvum eum locum, ut idearum vim ad res convertant, sibi capessant. Sin vero numeros ideales remotiores putes: hi fortasse a Platone

ita accepti, ut ideas supra hunc rerum ordinem evectas ad certa quaedam et congrua signa adstringeret et iis menti stabiliret. — — Si quis videre velit, quomodo numeri Platonis scholam occupaverint, adeat epinomin, Platoni certe auctori abjudicandam. Ibi autem numeri magis in astronomicis rationibus versantur et ceterum obscure tantum significantur (p. 991. sq. Steph.). Si universa numerorum ratio a Platone minus aliena, distant certe qui ab Aristotele traduntur numeri a singulis illis in epinomi significationibus prope ut aera lupinis.

Hactenus quidem ideae et numeri, quales per se sunt statuti. Quae attulimus, sufficient, spero, illi loco explicando, quem initio sequebamur, a quo paululum deflectere instituti ratio jussit (metaph. I. 6. *A.* p. 20. sq.). Locus nihil reliqui facit, quam *aliquam*, quomodo ipsa elementa a Platone cum bono et malo conjuncta sint, commemorationem. Quae pertractanda est. In dialogis boni et mali quaestio non semper ad summa philosophiae principia tam arcte revocata est, quam ab Aristotele memoriae proditum. In quo quidem dolendum, minus nobis testimonia, quam indicia esse relicta. Sed ex his parcis quoque vestigiis Platonis sententiae imaginem, etiamsi non perficere possimus, tamen tentare debemus. Quomodo haec quaestio instituta sit, declarat locus e magn. mor. I. 1. „*μετὰ ταῦτα δὲ Πλάτων διείλετο τὴν ψυχὴν εἰς τε τὰ λόγον ἔχον καὶ εἰς τὸ ἄλογον* (cf. Plat. rep. IV.) *ὀρθῶς καὶ ἀπέδωκεν ἑκάστου ἀρετὰς προσηκούσας· μεχρὶ μὲν οὖν τούτου καλῶς· μετὰ μέντοι τοῦτο οὐκ ἔτι ὀρθῶς· τὴν γὰρ ἀρετὴν κατέμιξεν εἰς τὴν πραγματείαν τὴν ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ. οὐ δὴ ὀρθῶς. οὐ γὰρ οἰκεῖον. ὑπερ γὰρ τῶν ὄντων καὶ ἀληθείας λέγοντα οὐκ ἔδει ὑπὲρ ἀρετῆς φράζειν· οὐδὲν γὰρ τούτῳ κἀκείνῳ κοινόν.* Patricius quidem in discuss. peripatet. III. 7. p. 358.

ita virtutem veritatis quaestioni immixtam esse negat, ut, quae Aristoteles Platoni vitio vertit, amoliatur. Fortasse hoc ipsum, quod solos dialogos spectans in Platonem admittere noluit, Platonicae philosophiae laudi dandum est. Si Plato omnia tum in natura rerum tum in hominum vita ex uno et communi fonte haurienda censuit: id strictam quandam philosophiae veritatem et conclusam in se formae perfectionem testatur. Re vera autem Platonem virtutem una cum vero sive bono ad unam ideam retulisse, etsi sepposito nostri loci testimonio, probabile fit, tum ex unius Aristotelis libri, quo Platonis scholae literis consignatae, communi inscriptione „de bono s. philosophia", tum e Philebi et Timaei principiis, quae optime sibi respondent [1]), inter se collatis, tum ex aperto libri de rep. VII. initio. Nusquam autem dialogorum tam distincte et accurate traditum est.

Paucis quidem Aristoteles hoc declarat metaphysicorum loco (I. 6. *A.* p. 22. Brand.), ubi proprias Platonis philosophiae rationes in pauca conferens hunc expositionis finem facit: *ὅτι αὕτη δυάς ἐστι τὰ μέγα καὶ τὸ μικρὸν· ἔτι δὲ τὴν τοῦ εὖ καὶ τοῦ κακῶς αἰτίαν τοῖς στοιχείοις ἀπέδωκεν ἑκατέροις ἑκατέραν, ὥςπερ φαμέν καὶ τῶν προτέρων ἐπιζητῆσαί τινας φιλοσόφων, οἷον Ἐμπεδοκλέα καὶ Ἀναξαγόραν.* Missa hac Empedoclis et Anaxagorae similitudine [2]), patet, quum Aristoteles in antecedentibus duo Platonis elementa, alterum *τὸ ἕν*, alterum *τὸ μέγα καὶ μικρὸν* nominaverit, illi bo-

1) cf. Philebus p. 16. sq. et Tim. p. 35. sq.

2) Aristoteles metaph. XIV. 4. *N.* p. 301. simillima sententiarum serie: *τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον τιθέασι, — — — οἷον Ἐμπεδοκλῆς τε καὶ Ἀναξαγόρας, ὁ μὲν τὴν φιλίαν στοιχεῖον, ὁ δὲ τὸν νοῦν ἀρχὴν ποιήσας.* Jam haec locorum similitudo majorem sequentibus fidem facit ad Platonem pertinere: *τῶν δὲ τὰς ἀκινήτους οὐσίας εἶναι λεγόντων οἱ μέν φασιν αὐτὸ τὸ ἓν τὸ ἀγαθὸν αὐτὰ εἶναι· οὐσίαν μέντοι τὸ ἓν αὐτοῦ ᾤοντο εἶναι μάλιστα.*

num, huic malum tanquam causis assignari. Si, quomodo magnum et parvum subito mali fiat radix, stupeas: cogitanda est ejus cum materia cognatio; cogitanda sunt ea, quae in Philebo de infinitate tanquam soluta per se intemperantia leguntur. Ita quidem, quae leviter adumbrata sunt, videntur interpretanda. Quod unum (τό ἕν) boni causa, id cum Philebo conferendum, ubi τὸ πέρας concentum et temperantiam, in quibus bonum situm est, sua vi constituit, neque a Timaeo abhorret, ubi τὸ ἀμεριστόν et ταὐτό optimi cujusque fons (p. 35. sq. Steph.).

Hic in memoriam ejus loci redeundum est, quem supra inter numeros ideales perlustravimus, eth. ad Eudem. I. 8., ubi indicabatur, unum ideo esse ipsum bonum, quod a numeris expeteretur. Quam non unicam fuisse rationem, sed tantum praecipuam ipsius boni cum numeris conjuncti causam, non est, quod pluribus exponatur.

Quum numeri non solum mathematici, sed etiam ideales unum debeant expetere, ea certe ratione, qua hanc numerorum expetitionem explicandam duximus, minime obstat, si Plato unum utpote boni principium e mathematicis numeris exemit. Quod tum per se idealium numerorum rationi consentaneum est, tum loco quodam metaphysicorum, etsi dubio, contendi videtur. Legitur metaphys. XIV. 4. N. p. 301. Brand. τὸ μέντοι ταύτην εἶναι τὸ ἕν (ἀρχήν intellig.), ἢ εἰ μὴ τοῦτο, στοιχεῖόν τε καὶ σταχεῖον ἀριθμῶν, ἀδύνατον· συμβαίνει γὰρ πολλὴ δυςχέρεια, ἣν ἔνιοι φεύγοντες ἀπειρήκασιν, οἱ τὸ ἓν μὲν ὁμολογοῦντες ἀρχὴν εἶναι πρώτην καὶ στοιχεῖον, τοῦ ἀριθμοῦ δὲ τοῦ μαθηματικοῦ[1]). ἅπασαι γὰρ αἱ μονάδες γίγνονται ὅπερ ἀγαθόν τι, καὶ πολλή τις εὐπορία τῶν ἀγαθῶν.

1) Loci sententia, qualis quidem et ab antecedentibus et a sequentibus postulari videtur, recte exposita est a vetere

In his Speusippum, ut hoc addam, a praeceptore Platone dissensisse, ex ethic. ad Nicom. I. 4. satis intelligimus. *πιθανώτερον δὲ ἐοικάσιν οἱ Πυθαγόρειοι λέγειν περὶ αὐτοῦ* (i. e. *αὐτοαγαθοῦ*), *τιθέντες ἐν τῇ ἀγαθῶν συστοιχίᾳ τὸ ἕν· οἷς δὴ καὶ Σπεύσιππος ἐπαπολουθῆσαι δοκεῖ.* In quibus *ἡ ἀγαθῶν συστοιχία*, elementorum quasi societas, in qua unum positum dicitur, indicare videtur, a Speusippo non e solo uno, tanquam unica boni causa, bona suspensa esse facta. Quod Pseudo-Alexandro quodammodo fidem addit, alium metaphysicorum locum ad Speusippum trahenti (Brandis. p. 66.). Invenitur hic metaphysic. XIV. 4. *N.* p. 302. Brand. *διόπερ ὁ μὲν ἔφευγε τὸ ἀγαθὸν προσάπτειν τῷ ἑνὶ ὡς ἀναγκαῖον ὄν, ἐπεὶ δ' ἐξ ἐναντίων ἡ γένεσις, τὸ κακὸν τὴν τοῦ πλήθους φύσιν εἶναι.* Quae implicata hac quidem ratione explicanda

---

interprete, quem Brandisius (p. 66.) Pseudo-Alexandri nomine affert: *ἀλλὰ τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ μαθηματικοῦ ἀπειρήκασι καὶ ἀφεῖλον ἀπὸ τοῦ τοιούτου ἑνὸς τὸ ἀγαθόν·* Quod autem verba fundunt, „unum principium quidem summum et elementum concessisse, sed mathematici solum numeri“ id nec moneri opus fuisset nec sententiarum seriei accommodatum. Neque Aristoteli, si eos tangere voluisset, qui unum solius mathematici numeri esse statuerent, *πρώτην ἀρχήν*, quae rerum cunctarum summum fontem significare solet, dicere in mentem venisset. Si bonum cum uno conjunxissent, unum vero inter solos mathematicos numeros retulissent: non effugissent difficultatem, sed tenuissent. Illa vero, quae interpres posuit, e verbis, qualia quidem nobis tradita sunt, repeti, vereor, ne non patiatur Graecae linguae usus. Neque enim per se nec propter interpositum *δὲ* illud *ἀπειρήκασι* cum genitivo *τοῦ ἀριθμοῦ δὲ τοῦ μαθηματικοῦ* conjungendum putares. Ut illa, quae certa est, sententia formetur, vel negationem ante voces *τοῦ μαθηματικοῦ* vel privandi aliquod verbum post illas excidisse conjici licet. Obscura sunt, quae habet latina Syriani interpretatio Fol. 114. b.: „Si autem aliqui unum supponentes esse mathematicorum numerorum post unum auferant ab ipso ipsum bonum, non de omnium principio disserunt.“ Quod Brandisius Syrianum ad hunc locum scripsisse annotat: *„τοῦτο Ἀλέξανδρος εἰς Πλάτωνά φησιν ἀπερρίφθαι,“* id in Bagolini versione ad hunc locum non invenio, sed (fol. 116. b.) ad XIV. 5. *N.* p. 303. *B. ἄτοπον δὲ καὶ* etc.

videntur, modo retinueris vulgatam lectionem ὡς ἐναντίον ὄν, ἐπειδή etc., ut existat sententia: „Unde et illi uni bonum assignare noluit, quod rationi contrarium sit, multitudinis naturam esse malum, quum nihil neque itaque ipsum bonum fieri possit nisi contrariis h. e. multis.“ Quae inter se consentanea non facile depromas, si, quod Brandisius recepit, legitur, ὡς ἀναγκαῖον ὄν, ἐπεὶ δ'. — Haec e Speusippi disciplina arcessere a re non alienum esse duximus, ut iis Platonis sententia quodammodo et confirmaretur et illustraretur.

Ita quidem Platoni summum ethicorum cum summo naturae principio coaluerat. Quare erat, quod Aristoteles e quatuor, quas posuit, causis (metaphys. I, 3. *A.* p. 9. Brand.), τὸ οὗ ἕνεκα, in quo liberi consilii et humanae voluntatis ratio versatur, a Platone minus tractatum vituperaret, sicut et τὸ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως in ejus philosophia desiderabat (cf. metaphys. I, 6. *A.* p. 21. Brand. phys. II. 3. 7.). Utriusque notionis mentem magis magisque sibi consciam factam esse, Aristoteli maxime philosophia acceptum refert. Quo et naturae et vitae principiorum discrimine statuto, discessit et naturae necessitas et hominis libertas, dum in summo fonte in mutuam redirent societatem.

Jam sicut supra physica, ita hic ethica, quatenus e summa et universa philosophia emanant, attigimus. Singulae vero philosophiae partes ab hoc instituto nostro remotiores, ut jam ab ipsis limitibus pedem referre jubeamur.